DE PLAUTI ET TERENTI PROSODIA QUAESTIONES DISSERTATIO...

Julius Brix

DE PLAUTI ET TERENTI PROSODIA QUAESTIONES.

DISSERTATIO

QUAM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE ADIPISCENDORUM CAUSA

DIE XV. MENS. IULII ANNI MDCCCXLI

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

IOSEPH GLATZEL, STUD. PHIL.

CAR. FIEWEGER, CAND. PHIL.

CAR. LOEWE, CAND. PHIL.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IULIUS BRIX,

LUSATUS.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCIORUM.

VIRO ILLUSTRISSIMO

JOH. AUG. MOSEWIO

MUSICAM IN ACADEMIA VIADRINA

DOCENTI

HANC QUALEMCUNQUE OPELLAM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE PLAUTI ET TERENTI PROSODIA DISSERTATIO.

Pl. Trin. I, 2, 59, 60.
Si me id nón accúsas, túte obiúrgandús. Scio.
Et si huc ália caúsa ad te ádveni, aéquom póstulas.

Ter. Andr. prol. 11.
Non ita díssimilí sunt árguménto, sed tamen.

Ibid. I, 1, 76.
Quid igitur óbstat? cúr non vérae fient? Aúdies.

Quantopere sit exoptandum, ut tandem aliquando inter viros doctos conveniat de primis Romanorum scenicorum prosodiae et metrorum principiis et legibus, miserabiliter declarant haec senariorum, si dis placet, monstra, quae vix quisquam credat transscripta esse ex novissimis Plauti et Terenti editionibus. Et eo quidem erroris librorum scriptorum reverentia Terenti editorem deduxit, ut novum adeo versuum genus effingere non dubitaverit, senarium dico septem pedum:

Quid ígitur óbstat? cúr non vérae fíent? Aúdies.

Quale inventum quis post Bentlei Terentium et Hermanni praeclaram operam unquam excogitatum iri divinasset? *) — Quocirca, ut res nunc sunt comparatae,

*) Ne igitur posthac miremur, si, ut Priscianus olim factum narrat (cf. Bentl. ad Ter. Andr. I, 1, 76), quosdam Terenti comoediis metra abnegasse, consimilibus dictis vel hoc saeculo aures nostrae obtunduntur; vide Wielandi iudicium de Plauti et Terenti versibus ad Horatii Artem Poet. v. 271 prolatum.

neminem miraturum esse confido, si me viderit eam rem resumere, qua nihil est gravius neque memorabilius iis, qui Plautum in Plauto, Terentium in Terentio frustra adhuc quaesiverunt. Sed integram materiam prosodiacam cum paucis paginis aegre comprehendi posse viderem, decrevi ita provinciam meam administrare, ut ad unam alteramve Plauti scenam annotationum vel excursuum instar exhiberem ea, quae ad Plautinae prosodiae rationem illustrandam alicuius momenti esse viderentur, utque eadem disquisitione usum Terentianum complecterer, quo facilius appareret, quatenus concordaret cum Plautino, quatenus discordaret.

Quod institutum antequam aggrediar, ea paucis exponenda censeo, quae a viris in hoc studiorum genere peritis ad hoc usque tempus effecta sint, ex qua narratione simul perspicietur, qua ego potissimum ratione materiam hanc spinosam tractandam esse arbitrer. —

Quamvis dissentientes in quaque doctrina audiamus hodie docentium voces, nulla in re nostra memoria viri docti magis discrepant, quam in prosodia et in metris Plauti et Terenti constituendis. Quae discrepantia dici nequit quantam fecerit remoram et detrimentum Plauti maxime emendationi, cum ars critica in comicis poetis nunquam certo et prospero cum successu factitari poterit, nisi si quis illas res quam maxime exploratas et perspectas habuerit. Idcirco sedulo colligendae sunt sententiae virorum, qui harum rerum iudices periti perhibentur, collectae conferendae et examinandae, ut errores, quoad fieri possit, procul habeantur et ad verum quam proxime accedatur. Quamquam omnis opera inanis erit, nisi simul conjungitur assidua et repetita ipsarum fabularum lectio. Inter viros autem, qui hodie Plauti Terentive fabulis emendatricem manum admovent, Hermannum, Ritschelium, Bothium, Lindemannum, Kampmannum, Weisium, Jacobum, Beckerum si retulero, erit fortasse, qui censeat, unum alterumve melius

omitti, Lingium vero eodem quo alios iure commemorandum fuisse. At nominavi nonnullos non tam propter ea, quae iam attulerunt, quam quia ex illis, quae effecerunt, non sine causa brevi maiora exspectare possumus. Lingium vero ideo excludendum putavi, quod, procul dubio gravibus scholasticis muniis detentus, prorsus hodie ommutuit operaque eius diu est, ex quo desideratur ad adiuvandam Plauti emendationem: cum praesertim, quae vir doctissimus olim in libro perutili „de hiatu“ effecerat, ea iam sibi quisque didicerit inque suum usum converterit. Neque Terenti editorem novissimum *) illis adnumerandum putavi, illorum memor, quae ipse edidit in praefatione: „hanc provinciam (singula carmina ad artis metricae regulam accuratius exigendi) his curis nec potui suscipere nec volui, lubenterque relinquo iis, qui plus temporis operaeque in his rebus posuerunt.“ Iam ex iis, quos supra laudavi viros, imprimis audiendum esse Hermannum, non est mirum, cum omnium maxime a natura ad haec sit studia comparatus, inque ea tali diligentia et industria incubuerit, ut eius sententiae iure plurimi nunquam non faciendae sint. Sed cum, quae ille senserit de prosodia, requirimus, caveri debet, ne, quae olim statuerit, hodie quoque statuere putetur. Etenim quae ante viginti et plures annos in elementis doctr. metr. et in epitome vir egregius disputavit, eorum eum non pauca iam multo aliter explicaturum esse, testes sunt ipsius cum verba, **) tum ratio, qua postmodum ***) hic illic versus non-

*) Dico Reinh. Klotzium, professorem Lipsiensem.

**) In censura curarum Weisianarum Jahnii annalium tomo XIX. inserta pag. 266: Rec. gesteht in diesem Punkte (prosodiam puta) sowohl als auch in Ansehung der von Plautus gebrauchten Versarten immer strenger geworden zu seyn, und Manches, was er ehemals für erlaubt hielt, jetzt für verwerflich zu erkennen.

***) In eadem censura, ubi operae pretium est comparare, qua diversa ratione Herm. et Lindemannus (in cens. Bacchidum

nullos emendavit. Et summa Hermannianae sententiae haec fere est: ut prosodia Plauti discatur deque ea recte iudicetur, nullam aliam viam patere quam per Terentium Bentleianum, ita tamen tractandum, ut, quos magnus ille Anglus admiserit errores, et perspiciantur et removeantur. Cum iam Terentiana prosodia fundamentum sit Plautinae, videndum tamen esse, quatenus Plautina prae altera sit rudior et inelegantior, et in hac re summam ponendam esse cautionem, utpote quae sit multo difficilior, quam plerumque credatur. Vulgo enim aut cuiusque generis licentias Plauto adsignari, corruptis versibus ad demonstrandum adhibitis, aut eandem illi atque Terentio in prosodia puritatem placuisse contendi.

Reliquos, qui de his rebus iudices exstitere, quamquam sententiam suam non explicuerunt (Ritschelius enim promisit tantum in tomo quarto Mus. Rhen.), aliam tamen viam insistere apparet ex ratione, qua corruptis locis succurrendum putaverunt. Et Lindemannus quidem, vir, cuius summa sunt merita in explicandis Plauti sententiis, commentationem de *prosodia latinae linguae* praemisit editioni maiori trium fabularum *Capt.*, *Mil. Glor.* et *Trin.* Lipsiae anno 1823 emissae, sed ita laxis et ambiguis rationibus usus est, ut quidvis ex iis licitum fuisse existimare possis. Praeterea saepissime locis corruptis vel certe ambiguis abusus est ad regulam statuendam, miscuit, quae accurate erant disiungenda, ut quae p. 19 exhibet neglectae positionis vel correptae vocalis exempla, quorum alia sunt certa et ubivis obvia, ut exemplum quintum, nonum et duodecimum, alia dubia, alia sine dubio falsa, ut quae duo exempla Terentiana memorat Hec. 4, 1, 6 *séd ostiúm concrépuit* et Phorm. 3, 2, 17 *Néque Antipho ália:* quos versus perperam pro

edit. Ritsch. ibid. inde a pag. 128) eosdem Bacchidum versus correxerint.

trochaicis cum Bentleio habuit, cum iambici sint, ut nulla sit licentia statuenda. *) Nec certiora sunt Plautina exempla, quorum primum statim: Trin. 2, 4, 106. *Sed etsi hércle* corruptum esse docuit nunc codicis palimpsesti Ambrosiani scriptura a Ritschelio, V. Cl., nobiscum communicata:

Sed si haéc res gráviter cécidit stúltitiá mea.

Porro Trin. 2, 2, 45 *Quíd exprobrás, bene quod fecisti*, ex eodem libro veterrimo *quid* delendum est: éxprobrás, b. q. f. — Attamen vereor, ne iniuriam facere velle videar viro multum laudato, si, quae multo abhinc tempore non recte omni ex parte disputaverit, hodie etiam ei imputem, praesertim cum in nonnullis rebus sententiam suam in melius eum iam mutasse ex iis appareat, quae postea de Plauto emisit. Multo vero maiorem iniuriam faceremus Ritschelio, **) si putaremus voluisse eum si minus maiorem at certe minorem Bacchidum editionem exhibere tamquam specimen aliquod suae ipsius Plauti recensionis, a qua opinione mirum quantum vir doctissimus abfuit, qui ipse apertis verbis in praef. edit. mai. p. VI. significavit, se dedita opera id solum spectasse, ut omnis recensionis materia diligenter conquireretur et ita in conspectu omnium poneretur, his ut ipsis libere de singulis quibusque iudicandi copia esset. Quapropter non putandus est Ritschelius omnes versus, quos posuit in suis Bacchidum editionibus, ut vere Plautinos probare et defendendos suscipere velle, neque vero quae de prosodia et de metris dixit, integra repeteret,

*) De Hecyrae versu compara Hec. 4, 3, 14—16. et Herm. elem. p. 177; de Phormionis Herm. elem. p. 166 qui iam dudum iambicum agnovit.

**) Et fecit adeo Lindemannus, qui, calidius quam sincerius rem agens, non pervidisse videtur, quid sibi vellet utraque Bacchidum editio. Recte autem Hermannus in censura Plauti Weisiani de Ritschelii consilio iudicavit.

si veram et iustam Plautinarum fabularum recensionem instituere in animo haberet.

Omnes tamen viri illi docti in eo contra Hermannum consentiunt, Plautinam prosodiam ex ipso Plauto petendam et cognoscendam esse: quod principium, si minus verbis professi sunt, re tamen ipsa confirmarunt. Et profecto fatendum est, si quis sana cum ratione rem tam difficilem expedire aggrediatur, ei ut haec via tutissima videatur, paene necesse esse: nihilominus autem Hermannus egregia divinatione ductus veram rationem indagasse videtur. Etenim palimpsestus ille Ambrosianus, perquam negligenter ab Angelo Maio, Italo, conferri coeptus, deinde ante hos quattuor annos accuratius excussus et plane pervestigatus a Ritschelio, olim Vratislaviensi, nunc Bonnensi professore, tam egregie Hermanni rationem confirmavit, ut ipse collator de Plautina prosodia aliter continuo iudicandum sibi esse videret. Eius enim codicis ope multi hiatus incommodi removebantur, correptiones insolitae evitabantur, is saepe vocum singularum ordo restituebatur, qui solus cum communi pronunciatione concordat, versus denique plurimi ita elegantes et puri evadebant, ut Hermannus et antea Bentleius a Plauto profectos esse eos censuerant. Id ego ipse expertus sum, cum ante triennium Ritschelium audirem Trinummum explicantem, in qua dici nequit quot versus emendati sint ex illo codice, qui, quanquam multis in fabulis mancus est et laceratus, tamen iis, quae servavit, viam monstrat, qua, adhibitis sedulo duobus Mss. Pall., reliqua etiam sint restituenda. Atque utinam viro insigni placeret, quam primum ea saltem publici iuris facere, quae certo et indubitate ex eo libro refingi possunt; nam ut res nunc est nata, nunquam, praesertim in canticis, tuto pede progredi licet, sed quoque versu haeremus, cum Pall. codicum scripturae, quo loci sunt difficiliores, eo sint et obscuriores et depravatiores.

Res igitur adeo devenisse videtur, ut quamquam vulgares Plauti libri mss. cuicunque licentiarum generi Plautum indulsisse atque adhaesisse persuadere nobis student, tamen partim ex Terenti prosodia, partim ex nupera omnium vetustissimi Ambrosiani codicis cognitione Hermanni ratio ut altera verisimilior tenenda sit exque hac iudicanda et disponenda singula, quae ab epicorum usu et prosodia recedunt. Et si hac ratione res diligenter et accurate disquiritur, vereor ne omnia, quae Plautus sibi prae epicis et lyricis poetis indulserit, hiatus, correptiones longarum, productiones brevium syllabarum et quae alia perhibeantur, in vulgi singulorum verborum pronunciatione sint posita, adeo ut nihil ipse novasse putandus sit, cum, qua ratione verba a populo pronunciarentur, ea in versus inferret et digereret. Atque cum populus Romanus non certis regulis in efferendis vocabulis constringi se pateretur, et quamvis saepissime v. gr. primam in *ille* corriperet, tamen ab eadem in *villa* corripienda sine dubio abstineret, apparere videtur, non tam de generibus licentiarum prosodiacarum cogitandum *) quam usum uniuscuiusque vocabuli, de quo dubitatio est, prosodiacum examinandum esse, collectis singulis versibus, comparatis numeratisque et iis, ubi vox sine licentia legitur, et iis, ubi licentia adhibita est, **) quo facto statim, opinor, ap-

*) Quod Beckerus nuper fecit in libello: „De comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis quaestiones" Lipsiae 1837 edito, laudabili sane instituto, sed tamen maturiore, qui, cum tradit, geminas consonantes syllabam praecedentem ancipitem reddere, quod nonnullorum vocabulorum proprium est, iniuria ad omnia transtulisse videtur.

*) Neque praetermittendum est, indicare, quo in genere versuum licentiarum plurima pars legatur. Quo enim impeditiores numeri sunt, eo frequentiores licentias habebis. Minimae in senariis obviae, plurimae in trochaicis et anapaesticis versibus, paucae admodum et multo pauciores, quam vulgo creditur, in creticis et bacchiacis numeris.

parebit, quae sint corrigenda, quae intacta relinquenda, et sane possunt nonnulla etiam genera licentiarum aperiri et omnino veterum Romanorum pronunciandi ratio illustrari et enucleari. Quamquam is tantum prospero cum successu hanc provinciam administrabit, qui ampla librorum optimorum scripturarum supellectile instructus certo indicare potuerit, quid sit corruptum, quid integrum. Quo magis dolendum est, illum, quem unum omnes cum hac ope optime adiutum, tum studio Plauti et Terenti assiduo probe praeparatum ad hoc negotium novimus (Ritschelium me dicere quis ignorat?) nondum etiam promissis stare voluisse, quae lustro et quod excurrit abhinc edidit. Spes tamen est, virum egregium non abiecisse consilium, cum, si quis alius, et ipse penitus intellexerit, quam gravis haec sit materia Plauti studiosis. Interim, quae quisque in promptu habet, ut in medium proferat, optandum est.

Equidem in iudicio de Plauti prosodia faciendo hanc viam inii, ut primo scenam aliquam senariis conscriptam eamque, quae aliquanto integrior ad nos devenisset, legerem, licentias observatas enotarem, componerem cum regulis hucusque statutis, dein regulas vel restringerem vel dilatarem, prout observatio mea postulasset. Eodem modo et difficiliora metra persecutus sum. Sic si primam Asinariae scenam mecum perlustrabis, perpauca quidem, quae ad licentiarum genus referri possunt, animadvertere poteris, imprimis vero notabile videtur, in integra scena CXII. versuum ne unum quidem vocabulum pravo accentu praeditum esse, *) ut inde non

*) Nisi quis hoc factum dicat in voc. *patris* v. 53, quod *pátris* efferendum postulet; vitiose, quanquam nuper etiam Beckerus l. c. p. 19 in Ter. Heaut. 5, 2, 45 *patris* trochaeum efficere putavit, quo nihil falsius est, cf. Ter. Adel. 3, 3, 37. *Patris, patrem, patrum, patruus, patria ctt.* nunquam primam producunt nec apud Plautum nec apud Terentium, apud quem si

iniuria coniicias, qui tales versus fuderit, eum nullo modo potuisse ex. gr. hunc emittere, qualem habet vulgata Cap. 2, 1, 2:

Decet íd pati ánimo aequó. Si id fácietís, leviór labós erit

ubi nata, sodes, *aequó*, quod *aéquo*, *fácietís*, quod *fa-*

---

in editione Bentleiana nonnulla primae productae exempla superant, Bentleio debentur, non Terentio, ut Eun. 5, 8, 9 ubi Faerni codicum scriptura reducenda est: *Thaís patrí se* et Heaut. 5, 1, 52 ubi cum antiquissimis eiusdem Mss. legendum: *Fac té patrem esse (ut) séntiat.* Phorm. 2, 2, 1. Bentleius ictus male disposuit; *aïs* duarum est syllabarum; *patris* vero, ut debet, pyrrhichium efficit. Mirum est ipsum Bentleium Phorm. 3, 1, 10 iustam huius vocis mensuram, quam alibi ignorare videbatur, probe perspectam habuisse. Etiam in Plauto editores aliquoties huius rei immemores fuere. Sic codicum fere omnium scriptura *patri* Poen. prol. 120 sententia quoque postulante iam a veteribus criticis in *patruo* mutata est, quam emendationem nunc cod. Lips. confirmat. Weisius tamen tenuit *patri.* Item Argum. Acrost. Amphitr. v. 3. *patriam* primam producere Lindem. ait, sed fallitur, aut enim ex vestigiis V. C. cum Bothio *decernit* legendum, aut, si *cernit* tenetur, hiatus statuendus post *patriam,* excusandus nomine proprio. Patet etiam, initium troch. sept. esse non posse, quod voluit Iacobus Epid. 4, 4, 24: *Pátrem mé vocáre;* transpone: *mé p. v.* Difficilis est emendatu versus Menach. 5, 9, 68: póstquam ad nós renúnciátumst, te ét patrem ésse mórtuum, qui versus ab arte metrica nullam, ab argumento fabulae summam habet difficultatem. Nam ex prologi versu 38 et nonnullis ipsius fabulae locis cognoscitur, non mortem, sed raptionem fili domum esse renuntiatam, qua de causa iam pridem veteres critici *de te* scripserunt, quo, dum alteri incommodo subvenitur, novum oritur, cum versus parum elegans exsistat: dé te et pátrem esse mórtuum. Inelegantiam Bothius hac correctione removisse sibi visus est: *dé te et pátrem mort.,* prodens ignorantiam prosodiae vocis *patrem.* Weisio vulgatam repetenti nihil harum difficultatum oboluisse videtur. Quod ego propono, sane violentius est, sed certe non vitiosum, et frustra leniorem medicinam circumspexi: scribo: dé te et mórtuúm patrem. — cf. etiam de prosodia *patris* ctt. Hermannum apud Lindem. Amph. 3, 2, 72.

ciétis, *leviór*, quod *lévior* efferendum fuit; hinc ne dubita, quin hic versus aliter sit disponendus, quod sentiens Weisius ita eum constituit, emendasse, si dis placet, sibi visus, cum magis eum corruperit:

Decet íd pati ánimo-aéquo. Si íd faciétis, lévior lábos erit.

U tmittam hiatum, quem post primam dipodiam troch. intulit, quis a Plauti editore ignoratum esse putaverit, *labos* necessario efficere iambum, non pyrrhichium? Peritiorem paullo se praestitit Bothius, qui primo versu *si* ante *id* collocans, altero *erit labos* transponens, utrumque tetr. troch. cat. esse voluit, in eo tantum peccans, quod aut vitiosum proceleusmaticum effecit: *lévior erít*, aut ultimam in *erit* corripuit, quae positionis vi producenda erat. Ego si quid video, prior versus sanissimus est, secundi autem pars prior sine dubio ita refingenda: *Decét pati ánimo id aéquo. Si íd faciétis* ut mendum in reliquis verbis sit quaerendum, quae Plautum aut ita dedisse crediderim: *lévior lábor erit (labor* cod. Lips.; *labos* Pareus in edit. II. ex suis Mss. ut videtur) aut: *lévis labós erit*, aut denique: *lévis erít labos.* Lindemannus, qui in priore editione vulgatam expresserat, in altera ex cod. Lips. *aequo animo* et *labor* dedit; *animo aeq.* tamen V. C. satis tuetur. Quod vero hiatum sustuli, relictum ab Lindemanno et Weisio, quamvis legitimus videri possit post dipodiam trochaicam, ideo feci, quia duo vocabula, inter quae hiatus cadit, ita sunt sententia et grammatica constructione coniuncta, ut divelli plane nequeant, quod tamen fit, si per numeros pausam fieri statuas. Omnino autem, quemadmodum Lingius leges scripsit, ex quibus hiatus admittendus sit, aeque videtur necessarium esse leges aliquando dari, quando non sit ferendus. Et maxime inter ea vocabula, quae in recitando separari nequeunt, i. e. nullam pausam admittunt, in aprico est, pausam numeris effectam ad hiatum excusandum nullo modo facere posse, itaque inter substantivum et adiectivum, inter praepositionem

et nomen et quae alia verba itidem cohaerent, hiatui locum non esse mihi persuasissimum est, nisi peculiaris aliqua causa vel excusatio accedat. Hinc hiatum non concoquo in Captivorum supra laudato versu, neque fero ibid. 2, 3, 35 librorum scripturam: Dícitó patrí, quo pácto míhi cum-hóc convénerit, ubi recte Bothius *cum hóc mihí* ex vett. editt. transposuit. Amph. prol. 89 lege: Quid ádmiráti id éstis? vulgo *id* abest, male hiante versu. Sic quem versum Lindemannus duplici cum hiatu exhibuit Trin. 3, 3, 30: ab amíco-áliquo-álicunde árgentúm rogem (ad quod exemplum corruptus versus Ter. Hec. 2, 1, 4 integer adeo esset) eum corruptum esse sunt qui tum demum concedant, cum emendatio certa adest. *Aliquo* a Camerario interpositum est; Ambrosianus liber tamen veluti uno ictu versum sanat, *mutuum* ante *argentum* addere iubens. Iam versus expulso molesto illo gemino hiatu ita se habebit:

ab amíco alicúnde mútuum árgentúm rogem.

Atque cum in una Trinummo ingentem hiatuum numerum Ambrosiani codicis ope Ritschelius sustulerit, persuasum habeo, et in ceteris fabulis eum valde imminutum iri, neque si quem versum hiatus causa corruptum esse pronunciavero, a me simul emendatio postulari poterit; quis enim emendare poterat illum Trinummi versum, aut quis, si in *mutuum* incidisset omissum, ei fidem habuisset? Alii enim versus levi statim medicina corrigi possunt, in aliis sufficit, corruptelae sedem indicasse, emendatio vero a Mss. petenda est. Ut tamen aliquos versus afferam, ubi liber ille hiatum removit, primum in prol. Trin. v. 6. confirmat Bothii emendationem: *igitur primum* exhibens, v. 18 eundem verborum ordinem praebet quem iamdudum Bentleius et Hermannus comprobaverunt. Porro 1, 2, 8 confirmat Hermanni elegantem emendationem: *út ego té volo;* ibid. v. 24 exhibet *haud nescias*, ubi vulgo cum hiatu *haud scias;* 3, 2, 39 versum interpretatione corruptum sic

persanat: Pérnovi équidem Lésbonice ingénium tuum íngenium ádmodum. — Scripsi haec ne quis me temeritatis coargueret, si viderit me non ubique Lindemannianos hiatus legitimos tolerare et corruptam scripturam pati aliis corruptis versibus defendi.

Ut igitur ad Asinariae scenam revertamur, sunt in ea nonnulla, quae nondum satis persanata videantur, sed quod ad prosodiam et rythmicam elegantiam attinet, neque purior neque elegantior usquam ulla a Terentio scena est exhibita, quod cum dico, recedo tamen a talibus maculis, quales Weisianae editioni adhaerent, ut v. 25 *cave mihi mendácii quídquam* ctt., ubi iam Pareus in ed. II. *mendaci* excussit. Hiatum vero his sex versibus deprehendi: *) 3; 48; 84; 86; 89 et 95, ex quibus versus 48 in scriptis libris ita exaratus fertur:

Fateór eam esse ímportúnam-átque incómmodam.

cum hiatu post caesuram, nisi quis malit ultimam in *fateor* produci, quod aegre patiar, quanquam haec res nondum dirempta est nec prorsus ratione caret. Cum enim multa verba, quae postea solam deponentium formam induerunt, primitus et activa et deponentia essent (apud Plautum legimus: *contemplo*, *opino*, *venero* ct.) fieri fortasse potuit, ut qua ratione *o* vocalis in praesentibus activorum producebatur, ita et syllaba *or* in deponentibus pro longa usurparetur, cum vocalis in utraque forma idem pondus habere videretur. Sed ad iudicium de hac re faciendum opus est, ut omnia exempla colligantur et examinentur. Interim hiatus in illo versu fortasse se tuebitur, neque opus est, ut *adeoque*, quod mihi aliquando in mentem venit, pro *atque* reponatur, cum ante particulas *atque*, *aut* non raro hiatum admissum videamus. cf. Ling. de hiatu p. 43. Similli-

*) Nam qui vulgo versu 62 hiatus habetur, non hanc mensuram habet: Et id égo percúpio-óbsequí gnató meo; sed: et íd ego pércupio ctt. aptissime acuta praepositione.

mus huic versus est Capt. 3, 5, 7 Decet innocéntem sérvom-átque innóxium; cf. etiam Stich. 2, 1, 114. Curcul. 5, 1, 8, Aulul. 1, 3, 6.

Dubitari potest de versu 89, quem Pareus ed. II. sic exaravit: Perficito argéntum-hódie ut hábeat filius, quam scripturam commate post *hodie* posito recepit Weise. Bothius post *perficitote* (ita enim scripsit obsecutus Camerario) commate interpunxit. Emendatio ut est facillima, tamen hiatum ego non expulerim, sed comma post *argentum* pono ut hiatus sit et in fine dipodiae et interpunctione excusetur. *Perficere* hic idem significat quod alias *efficere*, ut Ter. Eun. 5, 8, 24. —

Versu 96 hiatus satis defenditur tum caesura tum personae mutatione et verba *ubi eris*, quae in Vulg. hunc versum claudunt, initio sequentis sunt ponenda; pro *fuerit* ex V. C. repone *erit*. —

Versu tertio: Ita té-obtéstor, pér senéctutém tuam sponte intelligitur, *ted* esse rescribendum.

Versus 84 ita in Vulg. legitur:

non óffutúrum, sí-id hódie efféceris

cum hiatu minime ferendo, quem tulit tamen Weisius. V. C. *id* om. et *ecfec.* praebet, unde coniicias, integrum vocabulum disyllabum olim excidisse:

non óffutúrum!.. si hódie ecféceris.

Fortasse *argentum* periit. Interim *id* tenendum videtur, reliqua vero transponenda ad hunc modum:

non óffutúrum, — hódie sí-id ecféceris,

ut hiatus similis sit ei, quem v. 89 admisimus. Ceterum quod quidam *me* post *offuturum* inculcant, valde displicet, quia tum senarius in duas partes aequales dispescitur. — Magis arduum est iudicium de v. 86, quem V. C. ita repraesentat:

Venari autem rete iaculo in medio mari.

Codd. autem Pall. quinque cum Helmst. Guelf. Monac. Lips. Mss. *rete* omittunt, recte quidem ut Bothius demonstravit in adnott. Deinde versus initium *venári autém*

non est Plautinae elegantiae, multo minus probarem: *Venári aútem* cum hiatu, quod Weisio placuit; neque: *venárier aútem;* qua re tento: *venári avem aútem iáculo ín medió mari*, ut vox *avem* absorpta sit sequenti vocabulo. Si *reticulum* rete venatorium significare possit, pervelim hoc adoptare vel ob fidem V. C., ut eadem opera molestus hiatus post *iaculo* removeatur. Haec dicta sunto de hiatu in hac scena. Iam pergamus prosodiacas quoque licentias persequi, sicubi occasio se obtulerit. — Et primum versu 17 in vulg.: *quid istúc est? aút ubi est istuc terrarum loci?* anapaestus *ubi est ist.* vehementer offendit; Bothius *est* delevit, sed initium versus docet rescribendum esse: *ubi istúc est* et sic dedit Pareus in edit. sec. sine dubio ex Mss. suorum fide.

Versu 52: quippe quí mage amíco utántur gnáto et bénevolo.

quippe pyrrhichium efficit, ex licentia apud Plautum perrara, de qua, cum nondum inter viros doctos convenire videam, paucis agendum puto. Plerumque *quippe* apud Plautum cum *qui* vel *ni* coniunctum creticum efficit pedem, vel medio versu iamb. et troch., vel, quod saepius usu venit, in fine; de *quippe qui* v. Amph. prol. 22. Bacch. 3, 1, 2; Truc. 1, 1, 49; Rud. 2, 3, 53; *quippeni* Aulul. 1, 3, 3, Bacch. 4, 6, 41; Men. 5, 5, 45 (ubi Decurt. *quippini*) Truc. 1, 2, 103; 2, 4, 60; Poen. 1, 3, 27; 3, 4, 21, 22, 28, 29, 30 et 33. *quippe quando* Capt. 4, 2, 107; *quippe égo* (initium senarii) Epid. 3, 2, 31. In his igitur versibus *quippe* trochaeum legitime explet. Dubitari potest de versu Epid. 5, 1, 12. Str. *Hábe bonum ánimum....* Ep. *Quíppe ego quoí libértas ín mundó sitast,* ubi *quippe* aut utramque habet brevem, quod Weisio placuit in lexico Plautino, aut *ego quoí* anapaestus est, quod equidem malo, cum *quippe* medio certe versu nunquam primam correptam habuisse videatur. Sunt tamen quattuor versus, de quibus separatim dicendum est, et primum Amph. 2, 2, 113 (ed. vulg.):

Amph. An etiam íd tu scís. Alc. Quippe quae éx te audívi, ut úrbem máx.

possit quis vulgatam scripturam, quam codices quoque confirmare videntur, nisi quod Lips. Guelf. pr. *etiam* ignorant, probare, ut *quippe* correptim legatur, nisi *etiam* et a sententia respueretur cf. Lindem. ad h. v. unde cum eodem viro docto scribo: án iam id tú scis? quíppe quae éx te ctt. — Men. 4, 2, 19 quippe qui pro illis loquantur, quae male fecerint — Bothio et Weisio senarius esse videbatur, contra Hermannus, qui in elem. d. m. p. 415 metrum huic scenae reddidit, haec verba, manifesto interpretis ratus, delevit. Quapropter non abs re videtur, primos viginti versus, qui canticum efficiunt, ex mea ratione hic perscribere:

Ut hóc utimúr maxumé more móro	bacch. tetr.
moléstoque múltum!	bacch. dim.
Atque uti quíque sunt óptumi, máxumi	cret. tetr.
húnc habent mórem:	cret. dim. cat.
Cliéntis sibi ómnes volúnt esse múltos;	bacch. tetr.
Boníne an malí sint, id haúd quaeritánt;	bacch. tetr. cat.
Rés magis quaéritur quám clientúm fides	cret. tetr.
quóiusmodi cluéat.	cret. dim. cat.
Si is ést pauper átque haud malús, nequam habétur:	bacch.
Sin díves malúst, is cliéns frugi habétur.	tetr.
Quoí nec legés neque aequóm bonum usquám colunt,	cret. tetr.
sollícitos patrónos habént,	bacch. trim. cat.
Datúm denegánt, quod datúmst, litum pléni	bacch. tetr.
Rapáces, virí fraudulenti:	bacch. trim.
Qui aut foénore aut periúriis	iamb. dim.
Habént rem parátam. Mens ést in querélis	bacch. tetr.
Iurís ubi dicitúr dies, simúl patronis dícitur	iamb. sept.
Qui pro íllis loquántur, quae mále fecerínt: aut	bacch. tetr.
Ad pópulum, aut in iúre, — aut ád iudicem ést res.	

v. 4. libri: *morem habent hunc;* transposui, ut similes fierent versus 3 et 4 versibus septimo et octavo. v. 9. *is* Hermanno debetur. — v. 10. *Si* Vulg. *Sin* Bothius ex Decurt. dedit. — v. 11. libri *neque* pro *nec;* alterum *neque* (ante *aequom*) om. — 13. aut *litum* reponendum

(cf. Both. adnott.) aut *litium* duarum est syllabarum habendum. — 16. *paratam* iam Herm. ex cod. Lips. dedit; vulgo: *partam.* — 18. vulgo: *male quae;* sed Mss. *quae male.* — 19. hiatus post *iure* interpunctione et caesura excusatur. Deinde libri: *res est* metro invito.

Ego igitur versum 18 neque pro senario habeo, neque integrum induco; sed bacchiacum numerum agnoscens, ipso numero cogente, illud *quippe*, quod interpretationem redolet, delevi, qua re per hunc locum *quippe* trochaeum efficere potest.

Tertius locus est Pseud. 4, 1, 12 ubi de mensura vocis *quippe* non dici potest, nisi prius exploratum sit, quo metri genere versus primi illius scenae sint conditi:

Ph. Si úmquam quémquam di ímmortáles vóluere ésse auxílio adiútum: troch. tetr. ac.
Méd et Cálidorúm volúnt servátum esse ét lenónem exstínctum,
Quóm te adiútorém genuérunt míhi, tam dóctum hominem átque astútum.
Sed ubi íllic est? Súmne ego homo ínsipiens? anap. dim.
Qui haec mécum egomét loquár solus?
Dedít verba mi hércle, ut ego opínor, malús quom malós stulte cávi. bacch. hex.
Túm pol ego ínterii, hómo si ille ábiit, néque, quod vólui, ego hódie ecfíciam. troch. tetr. ac.
Séd eccum vídeo státuam vérbeream: út istic mágnifice ínfert sése!
Hém te hercle égo circúmspectábam: nímis metuébam mále, ne abísses.
Fuit meum ófficium, út facerém, fateor. anap. dim.
Ph. Ubi réstiterás? **Si.** ubi míhi lubitumst.
Ph. Ipsús ego iám satís sció. **Si.** cur érgo, quód scis, mé rogas? iamb. tetr. ac.
Ph. At hóc voló, monére té. **Si.** monéndus né me móneat. cat.
Ph. nimís tandem ego ábs te contémnor. **Si.** quippe égo te bacch. tetr.
Ni cóntemnam, strátioticús homo qui clúear.
Ph. Iam vólo, quod ócceptúmst agí. **Si.** Numquíd agere áliud mé vides. iamb. tetr. ac.

v. 2. Vulgo: *Tum me et Cal.* et sic Weisius edidit, ut *volunt* sit pro una syllaba, quod apud Plautum fieri

posse nego. Recte alii *Tum*, ut ex praecedente syllaba natum, induxerunt, nisi forte, quoniam omnes Mss. libri teste Pareo *servum* pro *servatum* exhibent, *salvom* reponendum est. Deinde V.: me ét Calidórum sérvatúm volúnt esse ctt. quae ictuum ratio quanquam in hoc metro ferri posse videtur, praestat tamen cum Bothio *) ita verba transponere, ut supra feci. — v. 3. V.: *genuere;* illud Mss. Parei. —

v. 5. *quid haec* Mss. Parei. V.: *loquor,* sed *loquar* Mss. Parei et cod. Lips. estque tribus syllabis pronunciandum, nisi potius verba ita ordinanda esse censeas: qui mécum egomét loquar haéc solus? v. 6. dedi bacch. hex., cum nexus verba in dim. et tetr. divelli non pateretur, cf. Lindem. ad Amphitr. 2, 2, 1, ubi vir doctus itidem bacch. hex. novem continuos restituit ostendente Hermanno. Poteris etiam binos trimetros statuere. *ego* metri gratia addidi; Bothius, qui et ipse hex. bacch. agnovit, *mihid* scripsit. V.: *malus cum malo* quae scriptura Acidalii **) olim nacta est patrocinium Bothioque nuper placuit. At V. C. *malus quom malus.* —

v. 7. *hoc opus* delevi, metro glossam ostendente sublectam 5, 1, 24. — v. 8. V.: *verberearn statuam*, priore verbo male ictu duplici elevato, altero prorsus obscurato. Deinde pro vulgato *ut* Mss. Parei: *uti ut,* unde effeci: *ut istic.* — v. 9 proceleusmaticus non offendit, nam *metuebam* trium syllabarum vicem tenet ut *intuetur* Capt. 3, 4, 25. ***) *perduellis* Amph. 1, 1, 99; 2, 2, 10.—

*) M. A. Plauti Pseudolus, Rudens, Truculentus. Academiarum et scholarum in usum denuo recensuit et explicavit Fr. Henr. Bothe. Lipsiae 1841.

**) Divv. in Pseud. p. 358.

***) Ubi tamen dubitari potest, an *intuitur* sit reponendum, quam praesentis formam Terentius habet Heaut. 2, 4, 23, Plautoque reddidit Bothius Truc. 2, 7, 48 cf. Hasium, virum doctissimum ad librum, qui inscribitur: „Reisigs Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft" p. 251.

v. 10. *fuit* est monosyllabum; *meum* integrum eliditur. — v. 11. *ubi mihi* V. C. Dec. — Pareus in ed. II. nescio unde: *ut mihi*. — 12. V.: *istuc ego:* sed V. C. Dec. *ipsus ego*, quanquam V. C. a pr. m. *ipsum*. Deinde V. C. *qur*, unde fortasse *quor* scribendum. — v. 14. prius *ego* Pareus omisit, nihil adnotans. A v. 17. sequuntur cretici.

Quartus locus, ubi propter metrorum difficultatem dubitatio est de mensura vocis *quippe*, exstat Epid. 3, 1, 18. Omnino autem quatuor viri docti in hoc cantico metra restituere conati sunt, Bothius, Jacobus, Weisius, Lindemannus in censura curarum Jacobianarum inserta tomo XIX. Jahnii annalium. Bothiana ratio, si discesseris a primis versibus, qui a quovis ordinari poterant, propter asynartetos (quos ne nuper quidem deseruit) non respici potest; meliora postea Jacobus praestitit; Weisius nec prosodiam nec sententiarum nexum in metris constituendis flocci faciens, denuo omnia pervertit, ut solet in canticis; Lindemannus denique rem ita ad finem perduxit ut pauca sint, quae aliter ordinata velim. Sic quem v. 5. posuit cret. monom. *copiam*, ferri is nullo modo potest, et videtur hoc verbum, quod perquam moleste hic repetitur, interpreti deberi, adscriptum voci: *aliam*. Deinde v. 7. cum Jacobo iamb. oct. constituendus, sed *tibi*, quod idem vir induxit, transpositum retinendum est hoc modo:

Scivi équidem in príncipio íllicó tibi núllam esse ín illo cópiam.

Lindem. prima in *illico* pessime correpta, cret. tetr. et troch. dim. constituit. Porro v. 9 et 10. rectius iam Jacobus ordinavit. v. 18. recte Lind. troch. tetr. ac. esse voluit:

Quíppe tu mi áliquid, áliquo módo, alicúnde, ab áliquibús blatis.

Duo igitur versus Plautini exstant, ubi *quippe* pyrrhichium efficit; Terentius, ubi ea voce usus est, primam semper productam habet, nam Heaut. 3, 2, 27 ubi senarius olim ita exibat: *quippe quia*, iam a Faerno et

Bentleio ex optimis libris mss. *quippe qui* restitutum est: qua re de Plauto quoque dubito; nam mirum est, etsi *quippe* apud eum non ita raro legitur, in viginti comoediis duo tantum exempla primae correptae exstare et in Asinariae quidem versu magna est suspicio, *quippe* ab interpolatore additum esse versumque talem a Plauti manu exiisse:

Qui mágis amíco utántur gnáto et bénevolo.

In codicibus enim sine dubio est: *magis*, pro quo *mage* versus causa ab editoribus repositum est, deinde displicent duo ab initio versus sese excipientes anapaesti, qui sunt rarissimi apud Plautum et sicubi leguntur, excusationem habent a permutatione personae aut ita sunt comparati ut in eadem scena v. 58 *struere ét beneficiis* et *Trin.* 1, 2, 103 *subigís maledíctis*, in quibus secundus anapaestus non purus est. In Epidici autem versu correptio minus habet offensionis, quia verba celerrime et impatientissime efferuntur, ut violatio prosodiae quaesita esse videatur, quanquam *mi* deleto servari poterit vulgaris prosodia. Hoc certum videtur, *quippe*, si unquam, rarissime primam apud Plautum correptam habere, nunquam apud Terentium.

Sed quoniam semel de prosodiacis minutiis disputatio institui coepta est, placet comprehendere eadem disquisitione similia quae videantur: *nempe*, *inde*, *unde*, *hercle*, *immo* ctt. Et primum vocem *nempe* recte viri docti statuisse videntur primam apud Plautum correptam habere, nimia enim sunt exempla et incipientibus et mediis iambicis trochaicisque versibus, quam quae removeri possint. Initio senarii corripitur Trin. 2, 4, 25. Aul. 2, 4, 15. Truc. 2, 4, 11. Initio troch. sept. Mil. 2, 3, 66. Initio iamb. sept. Mil. 3, 3, 32. 48. Rud. 2, 3, 13. Medio senario: Bacch. 2, 3, 11. Cas. 3, 4, 9. Epid. 3, 4, 13. Medio troch. sept. Ps. 1, 3, 119. 4, 7, 92. Rud. 2, 7, 7 et 9; 5, 3, 36. In aliis versibus mensura

est ambigua, ut Men. 5, 7, 41. Sed Trin. 2, 2, 55 (ed. Lind.) Béne volo égo illi fácere, si tu nón nevís. Ph. Nempe dé tuo — scriptura est corrupta, nam cod. Ambros. exhibet: *nisi tu non nonvis*, unde versus sic refingendus est:

Béne volo égo illi fácere, nísi tu nón vis. Ph. némpe dé tuo.

Ps. 1, 2, 18 ita iamb. tetr. Weisius constituit:

nempe íta animati estís vos, vincite hóc duritia ergo átque me

ut *nempe* non corripiatur; sed cum Hermanno Elem. d. m. p. 186 ita potius scribendum videtur:

nempe ita ánimati éstis, vincite hóc vos dúritiá tergi átque me,

nisi quod Hermannus perperam *vincere* praetulit; *vincite*, quod V. C. Dec. tenent, non sollicitandum erat. *tergi* pro *ergo* cod. Lips. praebet. Alio modo in novissima Pseudoli editione Bothius hunc versum aggressus est, *atque me* ut glossema inducens et iamb. sept. eruens: nempe íta vos ánimati éstis, víncere hóc duritia térgi. Terentius, apud quem saepius haec vox legitur, semel eam corripi passus est initio senarii Phorm. 2, 1, 80:

nempe Phórmionem. D. istúm patronum múlieris

nam *Phormio* primam corripere, somnium erat Faerni.

Porro de prima vocis *inde* correpta non est dubitandum; exempla habeas haecce: initio senarii Aul. 2, 7, 4 (V. C. *inde cóctam;* male quidam transposuerunt: *coctam inde)* Capt. 1, 2, 19. Poen. prol. 2. 5, 2, 95; 5, 3, 39; 3, 3, 52. Aul. 4, 6, 13; *) 4, 8, 7; Stich. 1, 3, 21. **) Initio iamb. sept. Amph. 1, 1, 4. troch. oct.

---

*) Versus ita se habet: indeque óbservabo-, aúrum ubi abstrudát senex — et hiatus satis defenditur caesura et interpunctione. Malnit tamen Herm. epit. p. 37 hiatum non admittere et ultimam in *inde* producere, quod fieri posse nego. Weisius et h. l. et 4, 8, 7 *que* omisit invitis libris mss.

**) Quia inde iam á pauxíllo puéro rídiculús fui. — Versus initio nimis est oneratus; hinc fortasse *puero* cum Acidalio p. 465,

Pseud. 2, 1, 18. Versus, in quibus vel scriptura non certa, aut scansio ambigua, hi sunt: *Pers.* 3, 1, 66:

Dabúntur dótis tibi índe séxcentí logi —

ita ictus ponendos esse censeo, nam *tíbi inde* non est Plautinae elegantiae; si tamen cui displicet anapaestus, is poterit *tibi* integrum elidere ut Bacch. 2, 2, 10; 4, 8, 15 ubi vide Ritschl. Ter. Phorm. 2, 3, 92.

Stich. 1, 2, 10.

Si quis me quaeret, inde vocatote aliqui, aut iam egomet hic ero.

Versus est iamb., cum troch. requiratur, quales ceteri sunt vicini, hinc scribendum: Sí quis quaéret me, índe v. ctt. ut *inde* sit trochaeus.

Poen. 4, 2, 80

Ibidem gnátust, índe surréptus fére sexénnis, póstibi,

pro *surreptus* V. C. Dec. Lips. habent consueto more: *subruptus*, quod fortasse genuinam nobis formam prodit: *surptus*, quae, quamquam nunc apud Plautum non legitur, ei tamen aliquoties reddenda videtur. Memorabile etiam est, *fere* in hoc versu ultimam corripere, quae vulgo producitur, ut Ter. Heaut. 1, 1, 3. Alias tamen medio versu hanc vocem apud Plautum non inveni, ut de usu prosodiaco eius certa proferre nequeam. Lexica vero et Parei et Weisii prorsus hoc vocabulum ignorant. Ceterum de forma *surptus* vide quae dicam p. 23.

Pers. 4, 4, 11

Vulg. Haéc nisi inde áberunt, céntuplex múrus rébus sérvandís parumst.

Weis. *nisi unde*, Mss. Pall. ita habere dicens. Sed in his teste Pareo sic legitur: *Hec unde ab.* ex quo bene Pareus eruit: *haec ni inde*; recte igitur in Vulg. erat

---

vel *iam*, quod saepius ab interpretibus additum reperitur, ut Ter. Heaut. 2, 1, 2 (ubi Bentleius perperam servavit), inducendum est.

inde, nam *unde* non convenit orationi, cum de solis Athenis sit sermo. *Nisi* igitur sit disyllabum (Weis. in lex. s. v. *nisi* h. l. monosyllabum esse voluit) per hunc locum licet. Ceterum *centuplex* ultimam corripere, paullo insolentius est et possit reponi *centuplus* ut dudum iussit Wasius de senario p. 183.

Rud. 4, 3, 19 male Weisius anapaest. versus constituit; a v. 15 incipiunt troch. pleni, ex quibus 18 et 19 ita sunt scribendi: Indiciúm dominó non fáciam. is míhi nil étiam réspondít. Quid? | Inde aequómst dari míhi dimídium? vólo uti dícas. Gr. ímmo hercle ámplius. Vulgo inepte post *quid* non interpungitur, post *mihi* interrogandi signum ponitur ut *dimidium* a verbo *dicas* aptum sit. *Dari* unius vicem syllabae tenet, cf. Bentl. schediasm. p. XVI. Ter. Adel. 3, 2, 13. Phorm. 2, 1, 31. *uti* pro *ut* scripsi versu monente. Deinde V. *immo hercle etiam amplius*, versu nimium onerato. Aliter Bothium nuper rem expedivisse video: Quid? ídne darí mi aequómst? volo út dicás. Gr. immo hércle etiam ámplius — sed et audacior est mutatio neque versus satis elegans est neque placet iamb. medios inter troch.

Stich. 1, 2, 43.

Perinde habétis, quási praeséntes sínt. Pi. pudícitia ést, pater.

versus et iamb. et troch. tetr. esse potest; troch. esse ceteri evincunt huius scenae versus nonaginta septem, item ad unum omnes troch. Secunda igitur in *périnde* corripitur. Non idem statuendum est de versu Amph. 3, 3, 18 ed. Lind.

Iup. Récte lóquere et périnde díligéntem ut úxorém decet.

Vulgata et Mss. ut videtur omnes *proinde*, nisi quod cod. Lips. a. m. sec. *perinde*, quod Lind. sententia, ut ait, postulante reposuit. *Perinde* omnino bis tantum apud Plautum legitur Pseud. 2, 1, 4 et Stich. I, 2, 43, semel apud Terent. Heaut. 1, 2, 21 et semper in hoc loquendi genere: *perinde esse*, *habere*, *quasi* vel *ut*. *Pro-*

inde h. l. significat, *prout decet diligentem uxorem*, quod, cur sententia non admittatur, non assequor. — *Exinde* Ps. 2, 3, 14. Truc. 1, 1, 64 sine licentia legitur. Terentius uno tantum versu *inde* corripuit, Phorm. 4, 3, 76 inde súmam: uxóri, tíbi opus ésse, díxero: sic enim hodie legimus ex fide solius Bembini, cum reliqui Mss. omnes praebeant: *id sumam*, quod depravatum est ex altero.

Unde in prima corripitur initio senarii Poen. prol. 109. Capt. 1, 1, 41. Cistell. 2, 3, 19. Trin. 1, 2, 81. Poen. 5, 2, 95 quanquam ibi Mss. teste Pareo *inde* tenent eadem licentia, *unde* tamen aptius ad sententiam videtur.

Mil. 3, 1, 92. Quaé mihi núnquam hoc dícat: éme, mi vír,
lanam, únde tibi pállium.

V. C. Dicat. minimi vir. nam unde tibi pall. — *Dec.*: dicate memi vata nam u. t. p., unde feliciter vulgata efficta est, quam Weisius expressit. Bothius *tibi* induxit, quem Lind. ed. min. tacite secutus est. Et recte meo quidem iudicio, nam nimium offensionis habet h. l. proceleusmaticus.

Pers. 1, 3, 70 Vulgata et Mss. ut videtur:

Qui síbi paréntes fúerint, únde surrépta sit.

Mss. ut assolent: *subrupta*, unde Acidal. p. 412 *únde surpta s.* Both.: *surrepta unde s.* Weis.: *ut surrepta s.* Verum vidisse Acidalium puto cf. p. 21. *Surripio* antiquitus contrahebatur in *surpio* (unde *surpit* in Aulul. argum. acrost. v. 8.), *surripui* in *surpui*, (Capt. prol. 8. 3, 5, 102. 5, 4, 14, ubi Mss. *surripuit*, metrum postulat *surpuit*, quod fortasse etiam Menaech. 3, 2, 45 et 5, 9, 78 restituendum est.); participii *surptus* exempla librarii obliterarunt. — Pers. 4, 3, 26 Weisius *unde* correptum esse putat, sed numeri alio modo, atque ille fecit, constituendi sunt. Primi sedecim versus sunt troch. tetr. cat., exceptis tertio (ubi transpone: íta, mea ancilla; V.: íta

ancillá mea), quinto et nono. v. 15 ex V. C. et cod. Lips. *crédo edepól* scribendum, quo etiam ducit Dec. scriptura: *credoepol;* V.: *credo pol.* — v. 16. *me* delendum est, ut versus sit troch. — a v. 17 incipiunt pleni octonarii troch. v. 19 ita est legendus: núnquam enim pósthac tíbi tuórum, quód nolís, volam. D. ábi, ne cúra. Edit. Taubm. habet: *tibi nec tuorum quoiquam;* Par. ed. II. Vulgata et Weis. recte *quoiquam* omittunt, sed etiam *nec* delendum est propter sententiam; nihili enim est: nunquam tibi nec tuorum volam q. n.; deleto *nec* haec evadit sententia: nunquam tibi posthac tuarum rerum aliquid volam, quod nolis. Inde a v. 20. Weisius dimetros anapp. effinxit, cum troch. octon. continuandi essent hoc modo:

20. Sátis credo. To. Ubi nunc túa libérta est. D. ápud te. To. aín? apud me ést. D. aio, ínquam.
Apud te est. To. Ita me dí-ament, út ob istám rem a mé tibi múlta bona ínstant.
Nam ést res quaédam, quam óccultábam dícere tíbi: nunc eám narrábo.
Unde tú lucrúm pergránde fácias: fáciam ut meí memíneris.

21. *inquam* post *est* versus respuit, qua re omisi. — Deinde vulgo *a me* post *instant* legitur, numeris perversis, quocirca verba alio ordine ponenda erant. — v. 22. vulgo: *tibi dicere*, male cadente ictu. — 23. Mss. et Vulg. *únde tú pergránde lúcrum*, quod transponendum fuit, cum prima in *lucrum* producta nullo modo demonstrari possit, quam rem infra pluribus explicabo.

Verbi *Hercle* *) nunquam prima syllaba apud Plautum correpta inveniri videtur, quae enim eius rei exempla in Vulgata circumferuntur, maximam partem codicum mss. ope emendanda sunt, ut Mil. Glor. 1, 1, 58 amánt te omnés mulíeres néque hercle iniúria, ubi vel pravi accentus *omnés* et *mulíeres* vitiosam scripturam ar-

*) cf. Bentl. ad Ter. Eun. 5, 8, 43.

guunt. *Hercle* a Mss. Pall. et cod. Lips. omittitur, quibus recte morem gessit Lindemannus, nisi quod etiam *ted* scribendum erat: amánt ted omnes múlieres ctt. Poen. 5, 3, 32 Vulg.: opínor hercle hódie, quód ego díxi pér iocum — *opino* sine dubio rescribendum est quamvis libris obnitentibus, ut Trin. 2, 4, 20. Rud. 4, 8, 4. — Poen. 5, 4, 69 Vulg.:

Sed illúd quidem vólui dícere: ímmo díxi hercle quód volébam.

Weisius *hercle* omisit; meliorem emendandi viam Bothius iniit, qui, cum V. C. *quid volui dece immo* praeberet, haud improbabiliter restituit:

Sed illúd quod vólui ...... *Adelph.* Díce. *Ag.* immó dixi hércle quód volébam.

Rud. 5, 3, 45

Vápulábis, vérbum si áddes ístuc unúm. Gr. vel hercle énica.

Sic Vulg. et codd. ut videtur, corruptis numeris, quapropter editores transposuere *únum istúc vel h. e.*, quod, quamquam ferri potest, durissimum tamen est. Reizianam mensuram, ex qua *vel hercle én.* anapaestum efficeret, recte, si quid video, editores repudiarunt. Bothius *vel tu h. e.* scribens asynartetum eruit; videtur autem *istuc* delendum esse, ut Ps. 3, 2, 85 ubi vulgata pariter *istuc unum* habet; deinde cum Bothio *vel tu* scripserim. Neque *Curcul.* 1, 3, 55:

Sí quidem herclé mihi régnum détur, núnquam id pótius persequar —

hercle primam corripit, *quidem* enim pro monosyllabo pronunciatur, et, sequente vocali vel litera *h*, integrum eliditur. Sane suaviores auribus tales essent numeri: *Sí quidem mi hércle*; attamen codd. cum vulg. consentire videntur. Similis est Trinummi versus 1, 2, 20, quem Lind. ita mensus est: Dum quídem hercle técum núpta sít, sané velim, — neque aliter Hermannus, sed *quidem* totum liquescit: *Dum quídem hércle. ibid.* 2, 3, 158 ita ictus ponendi sunt: Ph. *meus quidem hércle.*

Asin. 4, 2, 8 iam quidem hércle ad íllam hinc íbo quám tu própediem — Sic recte Weisius; male Lindem. in censura Epidici a Iacobo editae inserta Jahnii annalibus tomo XIX. p. 161. *hercle* corripi ratus est, cum de mensura voc. *quidem* ipse meliora docuisset ibid. p. 145. Eodem modo idem vir doctus Curculionis versum supra laudatum mensus est. cf. etiam Asin. 2, 3, 25 (ubi recte Both. *cedit* pro vulgato *incedit)*; ibid. 2, 4, 8; 3, 3, 32. Neque aliter apud Terentium tales versus metiendi sunt, ut Eun. 1, 1, 5:

Si quidem hércle póssis, níl priús neque fórtius,

et sic Bentleius, probe perspiciens, *quidem* integrum elidi, ictus disposuit. Sed Andr. 1, 3, 20 eius rei non memor fuit, cum enim in codd. sic esset scriptum:

mihi quidem hércle nón fit vérisímile, atque ípsis cómmentúm placet —

scripsit, troch. sept. statuens: mí quidem nón fit vérisímile, at ípsis c. pl. — Sed non apparet, quo iure inter viginti iambicos unus troch. versus intermixtus sit; neque *hercle* iuducendum erat, neque *mi* ante consonam scribendum (de qua re vide Hermanni praefat. ad Pl. Trinum. p. XIV. sq.); immo iambicus versus ita constituendus est, ut ego supra feci, praeterea *atqui* scribendum ex Parei paucis nec sane optimis codd., sed *atque* teneri nequit et *at* quod Bentleius post Guyetum dedit, violentius est. Ut iam revertamur ad Plautum, male vulgo legitur Trin. 1, 2, 14 Bene hercle ést, illám tibi béne valére et vívere; cod. enim Ambros. opportune *bene* omittit ut versus sic eat: Bene hércle est, íllam tíbi valére ctt. — Bacch. 4, 8, 61 codd.: Cl. Abeo ád forum ígitur. Nic. vél hercle ín malám crucem. Ritschelius in ed. mai. adnotat: „Interiectionis paenultima, ut saepe, corripitur, ultima non liquescit.“ Sed neque correptionem neque hiatum hoc loco admitti posse censeo. Bothius olim: *hercle vel*, nuper: *vel hercule;* utrumque

improbabiliter, nam *hercule* non usurpari, nisi revera deus invocetur, docuit Lindem. ad Capt. prol. 11 ed. min. Ego puto *vel* interpretis esse et a Plauto *immo* scriptum fuisse, versu quidem optimo. Mostell. 1, 1, 71. 72. Vulg. Tr. Molestus ne sis: nunc iam i rus, teque amove. | Ne te erres, hercle praeterhac mihi non facies moram; v. 72. esse mendosum, facile patet, nam septenarius est pro senario; sed neque prior versus integer est, ut ostendit prosodia vocis *iam*, quae in formula *nunc ïam* apud Plautum et Terentium binis syllabis efferri solet, quamquam tam saepe editores hanc consuetudinem neglexerunt, ut haud abs re videatur, infra omnibus exemplis collectis eam stabilire ita, ut non amplius dubitari possit. In priore igitur versu Bothii suspicionem, verba *i rus* de glossa esse, leviter confirmat cod. Lips. qui *te* habet, non *teque*. Praeterea *hercle*, quod in altero versu numeros tantopere turbat, in priore olim legebatur hac ratione:

Moléstus né sis: núnc ïam hércle te ámove.
Ne tu érres, praéterhác mihi nón faciés moram.

Contra Bothius sic correxit audacius:

Moléstus ne sis hércle nunc, teque ámove
mihi praéterhac, ne tu érres, non faciés moram.

Sane altero versu hoc displicet, quod versus in duo aequales partes dispescitur, sed non ausus sum cum Bothio transponere, quia interdum tales versus reperiuntur, cf. Trin. 1, 2, 18 Vivít, victúraque ést. Bene hércle núntias. Amph. 3, 2, 22. Cas. 2, 8, 74. Ter. Phorm. 4, 4, 18.

Poen. 3, 2, 11.

Ad. Dí te pérdant. *Mi.* vós quidem hércle comméndo, quóm, quiquí tamen
Et bene ét benígne fácitis, quóm-hero amánti operám datis.

Istud *commendo* in codd. mss. non comparet; V. C. hercle quo meo quin quiqui tamen; Dec. consentit, nisi

quod *quom* pro *quin* praebet. Ex *quo meo* recte Gruterus *quo modo* effecisse videtur ut versus cum Bothio sic legatur:

Ad. Dí te pérdant. Mi. Vós quidem hércle! Ad. Quómodo? Mi. Quín, quiquí tamen ctt.

Truc. 2, 6, 53:

Quíne etiám super ádducás, quae míhi comedínt cibum? St. hóc quidem
Hércle si ingrátumst dónum, cédo tu mihi ístam, púere, pérulam.

Sic vulgata metro prorsus perverso. Mss. Par. *etiam men super,* unde recte viri docti *etiamnum insuper* efficientes verba *hoc quidem* sequenti versui dederunt, quo facto *donum* glossema esse sponte apparebat. Deinde *si hercle* transponendum, ut *quidem* ex usu Plautino unam efficiat syllabam:

Quíne etiámnum insúper addúcas, quaé mihí comedínt cibum?
St. Hóc quidem si hércle ingrátumst, cédo tu mi ístam, puére, pérulam.

Both. nuper versu priori *Qui nunc etiam insuper add.* scribens sequentem versum asynartetum procudit.

Bacch. 4, 2, 13 (ed. Ritschl.) ne tibi hércle haud lónge est ós ab infortúnio *tibi* integrum eliditur cf. quae dixi p. 21. Non recte igitur Ritschelius ictus sic posuit: *ne tíbi hercle* ctt.

Immo apud Plautum prima correpta non inveni, quo magis mirum est, Terentium ab ea licentia non abstinuisse, cf. Hec. 4, 4, 104

Immo véro abi, áliquam púero nútricém para.

Phorm. 5, 8, 43

Immo véro uxórem tú cedo. D. ín ius ámbula.

Hec. 5, 4, 37 Immo véro scío, neque hóc imprúdens féci. P. ego ístuc sátis scio.

Sed Andr. 5, 2, 13 ímmo vero índignúm, Chremé, iam fácinus fáxo ex me aúdies.

vel vitiosus duplex ictus *indignúm* ostendit, versus mensuram aliter atque Bentleius fecit, instituendam esse: ímmo véro indígnum, Chréme, iam fácinus ctt. *Chreme* enim ultimam brevem habet ut Phorm. 4, 3, 4. Sensit hoc et Lindem. ad Pl. Trin. 3, 1, 17 ubi recte dicit *Charmide* dactylum esse. Notabile autem est, Terentium non nisi versus initio et in sola formula *immo vero* hac licentia usum esse, quod explicandum videtur ex tali fere pronunciatione: *immuéro* quasi sit bacchius. Sed etiam apud Plautum unus versus et alter hanc licentiam prae se ferre videtur, certe qui versus Cistellariae 2, 3, 23 vulgo a criticis misere habetur:

immó meretríx fuit. Séd ut sit, dé ea re éloquar.

(sic ictus disposuit Weisius, versum pessimum esse adnotans) is, Terentiana licentia admissa, haud indignus Plauto evadit: ímmo méretrix fuít. Sed út sit, dé-ea re éloquar, ubi *fuit* pro una longa habendum, ut Ter. Heaut. 1, 1, 10 et 23. Cum Bothio *meretrix* ut glossema eiicere, non placet, quia tum nimium quantum foret siccus versus et ieiunus.

Mil. Gl. 2, 2, 90 Vulg. et codd.:

cúm suo amátore ámplexántem atque ósculántem. P. immo ut óptume.

Bentleius, qui priora verba laudat ad Ter. Eun. 5, 4, 14 transponit: *cum amatore suo*, fortasse non consulto, certe librorum scriptura omni vitio vacat. In fine versus editores omnes *ut* induxerunt et nescio an recte, quanquam contra libros scriptos. Aulul. 2, 2, 84

Hódie quín faciámus, núm quae caúsa est? Eucl. immo édepol óptuma.

Sic Vulg. et codd. metro contorto et sententia perversa, nam scribendum est *optume*, quia senex nuptias non remoratur, cum in praegressis iam despondisset filiam Megadoro. Deinde versus gratia *est* inducendum videtur. — Menaech. 5, 5, 33 Vulg.:

Sen. Immo modéstiór nunc quidem ést de vérbis, praéut dudúm fuit.

Tractavit hunc versum Kampmannus in libello scholastico „Res militares Plauti“ inscripto p. 40, unde viri acutissimi verba huc transscribo: „vulgo *immo modestior* ex cod. Lips. et ed. Princ., in quibus *immo* omissum est; sed V. C. Par. *immonestor, Dec.* testibus Pareo et Schneidero *immonester*; itaque propius ad veram scriptoris manum accessurum speravimus, quod dedimus, concidetque vanum illud Weisii commentum, *modestus* et *modestia* primam omnino elidere.“ Hactenus vir egregius, probabiliter *immo honestior* rescribens.

De particula *autem* ut verba faciam, movet me Weisius, qui perperam, ut equidem opinor, nuper contendit, nonnullis locis Plautinis primam in ea voce corripi. Aut enim eos versus aliter recitandos esse, aut emendatione indigere, probatum nunc ibo. Et primum Amph. prol. v. 36. Iusta aútem ab íniustís petere ínsipiéntiast, quem versum recte sic Lind. demensus est, Weisius *autem* corripit ut ictus sic ponatur: *iniústis*, deinde post *petere* hiatum statuit. Si versus esset tam difficilis recitatu, ut ad licentiam refugere nos oporteret, mallem sane primam in *iniustis* corripi, quam in *autem.* Verum numeri omnino sine licentia procedunt, nam ictus in prima: *íniustis*, quem Weisius aegre tulit, quemque ego quoque alias non ferendum existimo, hic propterea paene necessarius est, quia opponuntur *iusta* et *iniusti*, qua in oppositione syllabam *in*, utpote oppositionem sive negationem efficientem, acui consequens erat. Simili modo nos in tali sententia accentum in syllaba radicali ponere negligimus: Der Gerechte unterliegt oft dem Ungerechten. Mil. 3, 1, 84 vulgata metro prorsus pessumdato exhibet:

Líberaé sunt aédes: líber sum aútem ego: me uti volo libere.

Dec. *me tu volo.* V. C. *me tui volo.* Weisius *me* deleto, *autem* correpto vulgatam expressit. Bothius, quocum

facit Lind., *sunt* induxit et in fine transposuit: *mé volo úti libere.* Ego et *sunt* et *sum* induco, et in fine teneo verborum ordinem a codicibus commendatum: *méd uti volo libere*, quanquam Bothiana transpositio magis Plautina est. De verbo substantivo omisso cf. Mostell. 1, 1, 46: Tu fórtunátus, égo misér: patiúnda sunt.

Merc. 2, 3, 84:

Lítigáre nólo ego vós, quam tuam aútem accúsarí fidem.

Quocumque modo mendosum *quam* corrigitur, id nihil ad hanc quaestionem attinet; illud vero mirum est, voluisse Weisium argumento esse hunc versum correptae *autem* particulae, cum in quaque fabula sexcenties pronomina disyllaba, ut *meum, tuum* ctt. integra elidenda veniant.

Merc. 1, 2, 7—9:

Cúrrentí, properánti haud quísquam dígnum habét decédere:
Ita tres símitu rés agéndae súnt, quando únam occoéperis.
Et curréndum, ét pugnándum et aútem iurgándumst ín via.

Primi huius scenae sex versus sunt iamb. octon., quos sequuntur hi tres troch. sept.; deinde Charino loquente iterum iambici veniunt. Sed troch. illi versus nondum sunt satis purgati, in medio enim *simitu* paenultimam non corripere, sed producere, certissime demonstravit Kampmannus in libello p. 30 laudato p. 34, quapropter aut iamb. versus statuendus, aut levi transpositione troch. efficiendus est: illud Kampmannus praeoptavit, cui non accedo, quia non exputari potest causa, cur Plautus tam temere numeros miscuerit et mutaverit. Transpono igitur: Ita tres rés simítu agéndae ctt. Denique misere habitus est v. 9. quem ex vulgata transscriptum sic, ut posui, ictibus notavit Weisius, ut *currendum* non liquescat, *autem* utramque corripiat. Neutrum arti et elegantiae Plautinae satisfacit, neque dubitari potest, quin recte Bothius *est* in fine induxerit et verbo *currendum* addiderit.

Stich. 2, 1, 59:

Quot pótiónes múlsi! quót autem prándia!

Quovis pignore contendo, scripturam hanc non esse sanam; pro *autem* substituo *item*, quod frequenter cum altero permutatum est.

Pers. 5, 1, 11 *autem* in verbis: *Le.* cúr autem tú sine me és? To. agendum érgo — ex vulgata pyrrhichium efficit; sed, sive haec verba priorem cum Bothio, sive posteriorem troch. octon. partem cum Weisio constituunt, leni transpositione scribendum est: cúr tu autém sine me és ctt.

Menaech. 5, 9, 30:

Vulg.: Néque aqua aquaé, neque lácte est lácti, créde mihi, úsquam símilius
Quam híc tui ést, tuque húius. Póstea aútem eandem patriam ác patrem ctt.

v. 30. Ling. de hiatu p. 58 *mihi crede* ex usu linguae transponi iussit; v. 31. Weisius *autem* corripit, nescio quo iure, cum scansio ita sit instituenda, ut *eandem* duabus syllabis pronuncietur, quod sane ignorare non debebat Plauti editor. Sed versus omnino non elegans est, aliudque libri scripti cantant, *V. C.* enim et *Dec. autem postea* transponunt, unde Bothius recte dedit:

Quam híc tui ést, tuque huíus aútem. Póst eandém p. ctt.

Vides, habere iam versum caesuram, quam in hoc versuum genere rarissime Plautus neglexit. De vi et collocatione partic. *autem* cf. Truc. 4, 3, 64 agite, abite, tu domum, *et tu autem* domum. *Postea*, quanquam per numeros ferri potest cf. Merc. 2, 3, 35. Póstea hac nócte nón quiévi ctt. *(ea* enim in unam syllabam conflatum integrum liquescit) tamen sequor Bothium *post* reponentem, cum *ea* ex sequente voce ortum videatur. Non magis Rud. 3, 4, 22 *autem* corripitur: Hae aútem Véneri complacuérunt. Hábeat, si árgentúm dabit — cum appareat, *hae aútem* primum efficere pedem troch.

Vanum igitur est hoc Weisii commentum, ut multa alia, quae de prosodia et scansione versuum Plautinorum excogitavit.

Haec fere erant, quae de quorundam verborum usu prosodiaco parata habui: redeo iam ad illud, quod p. 24 contenderam, *lucrum* nusquam primam producere, quod cum demonstravero, aliarum quoque geminarum consonarum exempla adiiciam, quae positionem, quae vulgo dicitur, non faciunt, seu brevem natura syllabam brevem relinquunt.

Quae primae in voce *lucrum* productae exempla adhuc exstant, sine dubio corrupta sunt, cum productio ne potuerit quidem adhiberi in voce, quae in fine versuum tam saepe purum iambum efficit. Hinc quam Lindemannus Capt. 2, 2, 76 ed. min. exhibuit scripturam:

Scío ego, múltos lúcrum lúculéntos hómines réddidit

ne dubita falsam putare; veram scripturam facile erat invenire, si editor et codicum lectiones diligentius examinasset et usum prosodiacum voc. *lucrum* perspectum habuisset. *iam*, quod expulit Lind., in omnibus Mss. etiam V. C. (solo Leidensi *B.* excepto, cuius librarius ea voce servata versui timebat) legitur, unus tamen Guelf. membr. ante *multos* collocat, unde versus non male sic legi possit:

Scio égo, lucrúm iam múltos lúculéntos hómines réddidit.

Scio, quod saepissime unam facit syllabam, integrum eliditur, ut Merc. 4, 3, 27 scio innóxiús's. Audácter quámvis dícito. — Potest vero versus alia eaque leniore transpositione emendari: Scío ego multos iám lucrum hómines lúculéntos réddidit; *homines* ante *lucul.* posui, in reliquis codices expressi. Sic caesuram nanciscimur et hanc Plauti manum arbitror. Weisii somnia in lexico eius s. v. *luculentus* adeat, cui volupe est. Alterum productionis exemplum Weisius in lexico affert Poen. 1, 2, 118: Námque edepól lucrúm amáre núllum amátorem

áddecet. Versus est troch. sept., sed deest syllaba, quam Bothius sic supplevit: Nám quidem édepol lúcrum amáre ctt. Weisio probante. Sane ex hac ratione *lucrum* primam habet longam, at hoc ipsum documento est, aliam medicinam esse quaerendam, et versus quidem scansio certissime prodit, post *lucrum* verbum aliquod intercidisse, fortasse *quidem:* Námque edepól lucrúm quidem amáre etc. In omnibus praeterea versibus prima semper corripitur et primum in fine senarii Amphitr. prol. 2; 6; 12. Men. 2, 3, 5 (secundum Herm. El. d. m. p. 395) Merc. 3, 2, 10. Poen. 3, 5, 5 et 26; 3, 3, 70. Pers. 4, 7, 3. 4, 3, 42. Rud. 4, 7, 22. Truc. 3, 2, 22. — In fine troch. sept. Capt. 2, 2, 77. Pers. 4, 3, 1. 4, 4, 118. Mil. 3, 1, 80. Most. 2, 1, 7. — in thesi bacch. Rud. 4, 2, 11. Mostell. 3, 2, 114. — med. troch. sept. Epid. 2, 2, 19. Asin. 1, 3, 40. Pseud. 1, 3, 47. Cas. 2, 6, 43. — med. iamb. sept. Curc. 4, 2, 45. Pseud. 1, 3, 43. *) Cistell. 1, 1, 51. — med. troch. octon. Rud. 4, 2, 18. — med. iamb. oct. Capt. 4, 1, 3. — med. senario: Stich. 3, 1, 4. Bacch. 4, 8, 18. — initio senar. Pers. 4, 6, 7. Amph. prol. 14. Apud Terentium octies haec vox legitur, prima ubique correpta: Heaut. 3, 3, 48. 4, 4, 25. Adel. 2, 2, 8. 5, 3, 31. Hec. 3, 1, 7. Phorm. 1, 2, 11. 2, 1, 16. 2, 1, 21. Neque aliter in compositis vocem apud Plautum usurpatam animadvertes: turpílucricúpidus Trin. 1, 2, 23. lucrificus Pers. 4, 3, 46. 47. **) lucrificabilis Pers. 4, 7, 2. lucris (servae nomen) Pers.

*) Weisius verba: Pótin ut semél modo, Bállio, huc cúm lucro réspicias — in cret. dim. et trim. divisit, sed dimeter a prosodia vitiosus est, cum *semel* primam non producat. Versus est iamb. sept. Potin út semél modo Bállió, — huc cúm lucró respícias, cum hiatu in caesura; sequuntur troch. sept.

**) Codd. et vulg.: quae istaec fortuna lucrifica est, qui verborum ordo, cum non conveniret initio troch. sept., sic a Weisio mutatus est: quae ístaec lúcrif. ést fort. sed lenior ratio est: quae ístaec fórtuna ést lucrífica?

4, 4, 73. lucripeta Mostell. argum. 6. Eadem positionis ratio obtinet in omnibus aliis vocabulis, in quibus *cr* brevem syllabam sequitur ut volucris Amph. 1, 1, 175. Poen. 3, 6, 51. epicrocus Pers. 1, 3, 16. lacruma Pseud. 1, 1, 8. Ter. Andr. 3, 3, 26 cum derivatis: lacrimula, lacrimari ctt. sacrum cum compositis Curc. 4, 1, 10. Phorm. 4, 4, 21. Adel. 2, 4, 1. *obsecro* Bacch. 1, 2, 35. Phorm. 1, 2, 61. mediocris Curc. 4, 3, 1. Hinc Weisius in fine senarii Merc. 2, 1, 13 non recte ictum posuit: *haúd mediócriter* qui sic erat ponendus: mediocríter. Idem vitium admisit Bentl. Andr. 1, 1, 32. Heaut. 2, 3, 45 et Ritschel. Bacch. 3, 1, 21. socrus Ter. Hec. 2, 3, 4; 4, 4, 83; male igitur Bothius corruptum versum Hec. 2, 1, 4 refinxit. *recreo* Men. 1, 1, 23. ludicrus Aul. 4, 3, 3. alacris Amph. 1, 1, 95 ed. Lind. Acroteleutium Mil. 3, 3, 1. Producitur tamen syllaba ante *cr* in dictione *sacres porci* Rud. 4, 5, 18:

Súnt domi ágni et pórci sácres. Séd quid istúm remorámini.

Men. 2, 2, 16 versus ita scribendus videtur:

sacrés sincéri. Cyl. númo. Men. á med áccipe.

numis V. C. a pr. m. et Dec.; *numo* V. C. sec. m.; *nummum* cod. Lips. Alii alio modo emendarunt. Tertium locum, quem Weisius praeterea indicavit in lex. Rud. 4, 6, 4 non potui invenire.

Itidem *br* nullam apud comicos positionem facit: celebris cum derivatis Poen. 3, 5, 13. Ps. 1, 2, 35. 32. Quapropter Weisius Poen. 1, 2, 44 vitiosum bacch. versum exhibuit:

Diem púlcrum et celébrem et venústatis plénum;

ictus sic sunt cum Herm. elem. p. 297 ponendi: diém pulcrum et célebrem et v. pl. tenebrae Ps. 1, 1, 88. Hec. 4, 1, 57. colubra Stich. 2, 2, 52. colubrinus Truc. 4, 3, 6. fabre (adverb.) Men. 1, 2, 23. fabrica ctt. Adel. 4, 2, 45 probrum Curc. 1, 2, 29. Andr. 5, 3, 10. febris Pers. 1, 2, 26. Hec. 3, 3, 22, qua re Curc. 1, 1, 17:

caruítne febris te hére vel núdius tértius,

febris pro pyrrhichio habendum et ex V. C. et omnibus Pall. *heri* legendum est cum vulgata; Weisius, *hére* dans, videtur primam in *febris* longam habuisse. lugubris Cistell. 1, 1, 46. Heaut. 2, 3, 45. Muliebris Men. 1, 2, 56 (ubi ex editt. vett. *summum me* legendum; *me* om. codd. et vulg.) Versus Mil. 4, 3, 6:

aurum átque véstem omném muliebrem habeát sibi

non sanus videtur, aut enim paenultima in *muliebris* acuenda sive producenda, aut, si ictus in antepaenultima ponitur, proceleusmaticus pro trochaeo statuendus est, quorum neutrum ex arte. Accedit quod *omném* insuavem in medio versu habet ictum: transpone: *múliebrem ómnem* et omnia incommoda remota videbis. Heaut. 2, 3, 48 codd. plurimi et optimi:

nullám alám rem esse éxpolítam múliebri;

solus Bembinus cum deterioribus quibusdam Bentlei codd. *mala;* praeterea duo Bentlei codd. *esse* omittunt. Hinc coniecit Anglus ingeniosus: nullá malá re intérpolátam múliebri, quia infinitivus *esse* ei offensioni erat, et sane *offendere* non solet nisi cum participio iungi. Sed Syrus, cum tanti ambitus periodum faceret (offendimus ipsam texentem — vestitam — ornatam — expolitam esse), verbum initio collocatum postea quodammodo neglexit, ut, cum teneret eius notionem, haud perinde constructionem eandem servaret. Per zeugma igitur, cuius exemplum in Andr. quoque 3, 5, 18, immerito a Bentleio correctum, ex *offendimus* ad vers. 48 *vidimus* vel tale quid intelligendum est. Ceterum non multum obsto, si quis ex Bembino *mala* praeferat, sed, cum reputo, quam facile in propinquitate ablativorum *malam* in *mala* abire potuerit, et quam parum verisimile sit, ex *mala* esse *malam* ortum, facile inducor, ut magis probem *malam*, quod Bembino excepto omnes Faerni codd. (igitur et Victorianus, qui facile aequat Bembini auctoritatem), sex Bentlei vetustiores et cod. *Hal.* exhibent,

hac sententia: eam reperimus nullo artificio muliebri *malas* fucatam. Non igitur a codicum mss. lectione recedendum videtur. — Inlecebra Men. 2, 3, 4. elecebra ibid. 26. perlecebra Asin. 1, 2, 7. ludibrium Men. 2, 3, 45. Hec. 4, 1, 11. latebrae Rud. 1, 4, 4. Male Lindem. Trin. 2, 2, 3 in *latebrose* antepaenultimam produci iussit; lege potius: latebróse med ábs tuo conspéctu occultábo; vulgo: *me;* Herm. *me ego;* versus est bacch. tetr.

Labrax Rud. 2, 6, 37. labrum Merc. 2, 2, 39. Adel. 4, 2, 20. Patet hinc corruptum esse versum Bacch. 3, 3, 76 quem Ritschelius intolerabiliter hiantem ex codd. sic dedit:

mánus ferat ád papíllas, lábra a lábris núsquam-aúferat.

Solus Weisius sensit, *labra* in prima produci non posse, transponendumque esse:

Ad papíllas mánus ferát, labra á labrís nusquam aúferat.

cerebrum Aulul. 2, 1, 30. Adel. 3, 2, 19. cerebrosus Most. 4, 2, 36. exterebrare Pers. 2, 2, 55.

Haud magis *pr* brevem syllabam praecedentem longam reddit: *supra* Andr. 1, 1, 93. Neglexit hoc Bentleius in Adelphorum versu 2, 3, 11:

nil súpra póte, nam quíd foris crépuit? máne, mane, ípse exít foras.

In Bembino legitur teste Coquelino: *nihil potist supra. Quidnam foris crepuit* ctt. unde recte Faernus dedisse videtur: nil póte suprá. Quidnam f. cr. ctt. — Cyprus. Merc. 3, 4, 61. Adel. 2, 2, 16. 22. 2, 4, 14. proprius Mostell. 1, 3, 68. Phorm. 5, 5, 2 ubi fortasse *ea* delendum est (et praeivit Bothius) ex ratione codicum, quorum optimi quidam Faerniani aut omittunt aut alieno loco positum habent ut et cod. Hal. qui: *curavi, propria ea ut Ph. potiretur.* stuprum Amph. 1, 2, 27. capra Merc. 2, 1, 5. 6. 16. Mostell. 1, 1, 40 ubi lege: canés caprá commíxta. Gr. quíd vis fieri. Mss. Par. *canem capram commixtam;* nominativus *canes* ter praeterea apud

Plautum legitur Men. 5, 1, 18, ubi vulg. *canis*, sed *canes* Pareus ex suis Mss. laudat. Trin. 1, 2, 133 et 135 ubi cf. Lindem. Deinde vulgata: *quid tu vis* f. contra versum, sed V. C. Dec. *tu* commode omittunt. caprigenus Epid. 1, 1, 16. *caprificus* Adel. 4, 2, 38 secundum Bentleium primam producit, quod a Terentio factum esse non credibile est, neque postulat hoc versus ratio. Ante Faernum sic legebatur:

Est ad hánc manúm sacéllum: ibi ángipórtum própter est
D. Quonam? S. illic ubi etiam caprificus magna est, nostin?
D. novi. Sy. hac pergito.

Faernus, quoniam in altero horum versuum integer pes supra numerum excurrebat, ex auctoritate Bembini delevit *nostin*, adstipulante vetere Bentlei codice et perbono Fabricii libro ms. Palatino. Hinc Bentleius *quonam* quoque exulare iubens ita versum exhibuit:

Illic ubi étiam cáprifícus mágna est. D. nóvi. Sy. hac pérgito.

Sed Terentius ultimam in *illic* nusquam corripuisse videtur et si qui versus adversantur, codicum maxime ope emendari possunt, ut Hec. 1, 2, 19 ex Donato recte *illi* nunc legitur; Adel. 5, 3, 58 ex Bemb. et Don. *illi* repositum est. Sed ibidem v. 60 *illi*, quod Bentleius ex plurimis suis Mss. dedit, praecedentem versum hypermetrum faciens, non teneri potest. Nam quam scripturam idem laudavit ex suo veterrimo cod. (qui, ut mihi iam compertum est ex apparatu Lengiano, *Dunelmensis* est, caput, me quidem iudice, alterius Terentianorum codicum familiae) et altero Regio: *atque ibi favillae,* eam opportune confirmat Bembinus liber teste Coquelino. Quare apage versum hypermetrum. Hec. 3, 4, 24 ex Victoriano cod. *illi* nunc legitur. Phorm. 1, 2, 43 *illi* nunc editur; *illic* codd. Hal. Vat. teste Coquel. ex cuius de Bembino silentio coniici posse videtur, *illi* esse in eo libro, ut dederunt Faernus et Bentleius. Haeserunt critici in versu Andr. 4, 4, 6 ubi codd.:

Quid turbae est apud forum? quid illic hominum litigant?

Bentleius, quia versus ultra mensuram excurrat, cum Guyeto dedit: Quid túrbae apúd forumst? quid illic h. l. versu parum eleganti; nam, ubicunque *apud* ultimam ante consonam corripit, ictum nunquam non in prima habet; ego nihil a codd. scriptura discedo, sed *illi* pro *illic* Terentio reddo:

Quid túrbae est ápud forúm? quid illi hóminum lítigant.

De senariis binarum aequalium partium breviter dixi p. 27. Aliis locis, ut Hec. 2, 1, 20. Adel. 4, 6, 4 recte ex coniectura Bentleius breviorem formam restituit; idem vellem fecisset in Adelphorum supra laudato versu, quo facto et *quonam*, quod omnes Mss. tenent (nisi quod Vatic. teste Coquel. Ms. Lips. Westerh. *quodnam* dant, librario verbum, quod ad *ubi* respondet, ad *angiportum* pertinere putante) servare potest:

D. Quónam? S. Illi úbi etiám caprifícus mágna est. D. nóvi. S. hac pérgito

Vides iam, genuina versui scriptura restituta, *caprificus* primam ex arte corripere. — *reprimo* Cas. 2, 8, 16. Adel. 5, 3, 8. Hec. 5, 1, 39 qui versus secundum Bembini et Victoriani fidem omissione particulae *sed* sanandus est; male Bentleius eam retinuit, *facias* expungens ut *reprimam* primam producat. — reprehendo. Pseud. 1, 2, 91. Trin. 3, 1, 24. Adel. 4, 4, 15. — *aper* in casibus obliquis Cas. 2, 8, 40. — manupretium Men. 3, 3, 20 ubi, quanquam versus mensura ambigua est, tamen brevem esse antepaenultimam docent alia verba cum *manu* composita, ut manuplares manuplatim, de quibus vide pag. 43. — Hinc et *manubrium* sine dubio antepaenultimam corripit, quam mensuram confirmat versus Epid. 4, 2, 89 ed. Iac. nunc ex cod. Ambros. ita restitutus:

Sapiéntiórem vídi excússo mánubrio

quam scripturam Weisius cum dicit metro non congruere, ignorantiam Plautinae prosodiae prodit. Attamen

contra hanc mensuram facit Aulul. versus 3, 4, 12: Sí íd palám fecísset: éxemi éx manú manúbrium, quem sanum esse mihi nunquam quisquam persuadebit; possit vero ita emendari: éxemi íis ex mánibus mánubrium. — Singulare est *parcipromus* Pseud. 5, 1, 22. Trin. 1, 2, 83. —

Etiam *tr* non positionem facit: *impetro* Men. 1, 3, 10. Adel. 3, 4, 44 ubi ex oppositionis ratione transponendum est: *Quod vís vos cógit;* vulgo: *vós vis.* — arbitror Capt. 2, 1, 28. Eun. 3, 1, 19 ubi hiatus a Bentleio non removeri debebat, cum satis sit excusatus maiore interpunctione et mutatione personae. — *obstetrix* Capt. 3, 4, 96. Andr. 1, 5, 64. — *Amphitruo* cf. Herm. apud Lindem. ad Amph. 3, 2, 72. Male Lindem. Amph. 1, 2, 9 edidit: complébo atque ómnem Amphítruónis fámiliam; recte Weisius: ómnem Amphitruónis, ut ante nomen proprium sit hiatus. Sic idem vir doctus aliis locis in prosodiam huius nominis peccavit, ut 1, 1, 42 ubi lege: império atque auspició meí-heri Amphitruónis máxume; vulgo: *heri mei;* et in eadem scena vv. 250. 252. Hinc quam recepit Lindemannus Camerarii coniecturam Amph. 2, 1, 45 ea vel furca expellenda est. Probabilius Weisius *pol* post *tibi* inseruit. — Eretria Pers. 2, 3, 10. 5, 21. 22. Quapropter Merc. 3, 4, 61. Mégara, — Eretriám, Corínthum ctt. hiatus statuendus. — tonitrus Amph. 5, 1, 10. — patrare Asin. 1, 1, 100. Male nuper Bothius Truc. 1, 1, 36 pro vulgato: *quod péreat* ex codicum scriptura: *petra* eruit: *quod pátret.* — paratragoedare Pseud. 2, 4, 17. — meretrix Curc. 1, 1, 46. Heaut. 3, 2, 11 quem versum Bentleius ex vulgaribus codd. ita dedit: Syr. Facéta haec méretrix. Chr. Sáne idém visást mihi, sensu sane commodo et facili; dissentit tamen Bembinus liber testante Coquelino, scripturam exhibens hanc maxime commendabilem:

Sy. Facéta haec méretrix. Chr. sáne. Sy. idém visást tibi?

Chremes enim, qui exspectat, servum secum aliquid

fallaciae esse communicaturum, pauca semper respondet, ut servus quamprimum ad id veniat, cuius causa uterque convenerat, quanquam alter alteri dissimulabat. Itaque haec: *nil nimis, heia, sane, sic satis* omnia sunt impatientis et ad aliud festinantis. Servo vero prorsus contrarium studium est, suspicionem enim heri, qui proxima fortasse verba perceperat, removere cupiens, quaestiones quasdam profert, simul exploraturus, quid de Bacchide herus sentiat. Cum igitur paullo tardius herus affirmasset, meretricem commodam esse et facilem mulierem, pleniorem eius assensum extorturus, insuper interrogat: *idém visást tibí* (quae interrogantis esse, vel ictus in extremis syllabis positi produnt cf. Bentl. ad Phorm. I, 4, 29), sed responsum non exspectans, statim pergit, ut servi loquaces assolent: *et quidem hercle* ctt. Sic Bembini scriptura explicanda, explicata recipienda videtur. — ianitrix Curc. 1, 1, 76; utrum Men. 2, 1, 45 (ubi recte editores *habebo* pro eo, quod Mss. habent *habeo).* Heaut. 2, 4, 14. Levi corruptela affectus est versus Pseudoli 3, 2, 88. Sed útrum amícis hódie an ínimicís tuis ctt. scribe: *sed utrúmne am.* — penetro Men. 2, 3, 49. Perperam Lind. Trin. 2, 2, 1 produxit paenultimam; creticus versus ita constat: Quo íllic homo sé foras pénetravit ex aedibus, ut *penetravit* contracte pronuncietur. De verbo *latro* et versu Curculionis 4, 3, 16 ita disseruit Ritschelius in libello „De veteribus Plauti interpretibus“ Bonnae 1839 emisso p. 13 sq. ut non habeam quae addam aut contra dicam. — excetra Pseud. 1, 2, 87. flagritriba Pseud. 1, 2, 5. — barathrum Rud. 2, 7, 12.

Non magis brevis vocalis producitur ante *gr:* peregrinus Men. 2, 2, 65. Eun. 4, 6, 21. migro Trin. 3, 2, 13 ubi vulgata corrupta est, neque quidquam subsidii codices vulgares praestant; solus Ambros. cod. optime sic versum restituit: néque mens óffició migrat. Hec. 4, 2, 13. — flagrum Cas. I, 35. — flagritriba Pseud. 1,

2, 5. — integer in casibus obliquis Cas. 3, 5, 6. Ferri nequit vulg. scriptura Pers. 5, 1, 2:

Béllo exstíncto, ré bene gésta, intégro exércitu ét praesídiis,

quod sentiens Weisius, hiatum admittens ictum sic posuit: *integro*, ut prima aut huius aut sequentis verbi corriperetur. At quam facile erat restituere: gésta, exércitu íntegro ét pr., praesertim cum et hoc et praecedenti versu omnia substantiva praeposita sint. piger in cass. obll. Most. 1, 2, 23. pigritia Merc. 1, 2, 3. podagrosus Merc. 3, 4, 8. Poen. 3, 1, 29. — niger Capt. 3, 4, 114. spissigradus Poen. 3, 1, 3. — regredi Capt. 5, 4, 25. Cas. 3, 5, 56. — ager Trin. 3, 2, 26 ubi ex Ambros. libro scribendum est: átque istum égo agrum tíbi relínqui ctt. ibid. 2, 4, 159 ex eodem codice repone:

Lepide hércle ego hóc agro húnc seném deterrui.

vulgo: hercle de agro ego hunc ctt. Hinc vitiosa est Lindemanni emendatio Amph. 1, 1, 43. Qui praéda, atque ágro, adóriáque affécit pópularés suos, *qui* deest in Mss. Bothius, ut solet, *agrod.* Kampm. l. l. p. 13 *is* ante *praeda* inserere velle videtur, ex qua ratione non minus remaneret prima in *agro* incommode producta. Neque iam recte se habet Rudentis versus 4, 2, 25 quem sic solent dimetiri:

Iám-ubi líber ero: ígitur démum-ínstruam ágrum, aedís, mancípia

Plautus ita scrípsisse videtur: ínstruám, mancípia, agrum, aédis vel: ínstruam agrós, aedís, mancípia. At recte se habet vulgata in eiusdem fabulae prologo v. 34:

In agro átque vílla próxumá proptér mare,

quam perperam nuperrime mutavit Bothius: *in ágro ac v.* Corruptus est senarius Epid. 2, 3, 1.

Nullum ésse opínor égo agrum in ágro-Attico,

nam *agro* secundo loco non magis produci quam priore potest. A coniecturis abstineo; sine meliorum enim copia codicum, quam nunc habemus, nihil efficitur. Ceterum neque Iacobus neque Weisius in hoc versu offen-

derunt. Male se etiam habet vulgata mensura apud Ter. Heaut. 1, 1, 11:

aut plús, ut cóniicio. ágrum in hís regiónibus

sic Bentleius edidit; verum codd.: *aut plus eo ut* in qua scriptura eum singularis numerus *eo* post pluralem *annos sexaginta* non debebat offendere, neque numeri obstant, quin *eo* servetur. Versus enim sic metiendus est: aut plús eo, út conício. agrum in hís regiónibus, ut *conicio* trium sit syllabarum, et in quarta sede anapaestus locum habeat pro iambo. Praeterea Terentius semper primam in *agri* ctt. corripit ut ibid. v. 2. inde ádeo, quód agrum in próxumo híc mercátus es, ubi fortasse *quom* pro *quod* reponendum est ut et Adel. 3, 2, 1 corrigendum videtur cf. Eun. 3, 5, 3. Plaut. Capt. 3, 3, 1. Rud. 3, 3, 1. — Denique Agrigentinus Rud. prol. 50.

Eadem est ratio consonarum *pl.:* duplex Men. 3, 3, 22. Bacch. 4, 4, 2 ubi de scriptura dubitatio moveri potest: Nám duplex hódie fácinus féci, dúplicibús spoliís sum adféctus. *duplex* enim ultimam vix brevem habet; fortasse *duplum* corrigendum est ut Pers. 4, 4, 11 de quo versu vide quae dixi pag. 22. — Cas. 3, 6, 6. Truc. 4, 3, 7. Hinc prima Bembini manus, ex qua Heaut. prol. 6. exeunte senario *dúplici* scribitur probante etiam Bentleio, ferri non potest; nam eadem qua Plautum prosodia Terentium usum esse ostendit Phormionis versus 4, 2, 13. — duplus Capt. 4, 2, 39. Poen. 5, 6, 14. — triplex Pseud. 2, 1, 6. 2, 4, 13. 4, 3, 8. — quadruplex Curc. 5, 2, 21. — conduplicare Pseud. 5, 1, 18. Phorm. 3, 2, 31. — conduplicatio Poen. 5, 5, 18. — duplicare Poen. 1, 1, 56. 3, 2, 61. — quadruplicare Stich. 3, 1, 4. — quadruplum Truc. 4, 2, 53. — quadruplator Pers. 1, 2, 10 et 18. locuples Rud. 2, 1, 4. — poplus Mostell. 1, 1, 14. — peplum Merc. prol. 67. — maniplares Mostell. 5, 1, 7. — maniplatim Pseud. 1, 2, 48, sic enim recte ibi Weisius scripsit, cum in vulg. esset: *manipulatim.* —

Sic etiam *cl* consonae non positionem faciunt: Sosicles Men. arg. 4. 5, 9, 64 ubi fortasse cum Mss. Parei rescribendum est: quód nunc ést Menaéchmo: íllum túm vocábant Sósiclem; vulgo: *Menaechmus*, sed hiatus maiore interpunctione satis excusatus videtur. — Stratippocles Epid. 1, 1, 27. 32. — Callicles Trin. 2, 4, 2. — Agathocles Pseud. 1, 5, 118 ubi hiatus ante nomen proprium ferendus videtur. — Sophoclidisca Pers. 2, 2, 19; 23. Agarastocles Poen. 1, 2, 192. — reclusit Capt. 4, 4, 10 prima legi producta, non est mirum, cum productio vocalis in ea praepositione in quibusdam verbis admodum frequens sit, ex. c. referre, reducere, reperire. — Singularia sunt, hippodromus Cistell. 2, 3, 7 et 10. Bacch. 3, 1, 27. Sceledrus Mil. Gl. 2, 4, 5. — nucifrangibulum Bacch. 4, 2, 16.

Quod autem sunt, qui putent, duobus vicinis vocabulis alterius syllabam extremam natura brevem duplici consona alterius incipientis produci, in eo vehementer fallunt, neque probavit hanc rem nuper repetens Bothius in editione trium fabularum ad Pseud. 5, 2, 28, quibus adde, quae dudum ad Aulul. 2, 1, 30 (108) in edit. prima disseruit.

Haec de positionis vi et ratione dicta sunto. Si quae exempla oculos meos fugerunt, neminem, opinor, hoc offendet, atque vel haec sufficere puto ad significandam Romanorum pronunciationem eorum verborum, quae consonas illas habent. Neque tamen ex his atque similibus continuo conclusio valet, poetas comicos omnino flocci fecisse positionem, quae est opinio Ritteri ad Terent. Andr. prol. 3. explicata (quae vera sane esset, si Romani, ut ille voluit vir doctus, tam horribili modo pronunciassent versus: popúlo ut placérent; habét observátam); illud enim ipsum, quod tam constanter in certis vocabulorum generibus nullam positionem agnoscunt, documento est, in reliquis verbis voluisse eos positionem observare et observarunt etiam, si exceperis

parva quaedam vocabula, ut *in*, *id* ante cons. *inde*, *unde* ctt. quae crebro usu ita attenuata et decurtata erant, ut prorsus nulla positio esse videretur. Multos de positione veterum comicorum errores librariorum quoque peccata pepererunt. Verum copiosius et accuratius, quam hic factum est, alias doctrinam de positione apud comicos Romanorum poetas explicandam mihi sumam.

Quod supra significavi, *iam* in formula *nunc ïam* semper apud Plautum et Terentium duabus syllabis efferri, id iam omni exemplorum copia congesta demonstrandum mihi est. Idem observavit dudum Lingius de hiatu p. 59 sed nemodum editorum, quod sciam, ei obsecutus est. Et exstat *Scauri*, veteris Plauti interpretis, notatio in Rufini excerptis p. 2711 ed. Putsch. vel 384 Gaisf.: „Scaurus in eadem fabula (Pseudolo) sic: nunc iam] *iam* divisit in duas syllabas metri gratia.“ — Rectius tamen dicimus, non metri, sed communis pronunciationis gratia *iam* Plautum divisisse, quia consona j post *nc* asperior Romanis ad pronunciandum erat. Plautus his in locis *iam* divisit:

Amph. 1, 1, 156. 2, 2, 146. 4, 3, 18.

1. Métuo, né numerum aúgeam íllum. Merc. Hem, núnc ïam érgo. Síc olo.
2. En tibi páteram. Eccam. Amph. Cédo mi. Alc. age áspice húc sis núnc ïam.
3. Quín síc fáciam, utí constítui; pérgam in aédis núnc ïam.

v. 1. Lind. et Weisius perperam ictus posuerunt: hém nunc iam *érgo;* Weisius adeo *illunc* scripsit, nescio qua fretus auctoritate. — v. 2. recte Lind. *en* dedit ex Guelf. I. — In eadem fabula I, 1, 193 ed. Lind. *ïam* nullum habet a codd. scriptis praesidium, quapropter recte deleverunt Bothius et Lindem.

Asin. prol. 4. 2, 4, 79. 3, 3, 89. 3, 3, 120.

1. Face núnc ïám tu praéco omnem aúritúm poplum.
2. I núnc ïam ád herum, quó vocás iamdúdum, quó volebas.

3. **Age sís tu in pártem núnc ïam húnc delúde atque ámplexáre hanc.**
4. **Adsta, út descéndam núnc ïam ín proclívi, quánquam néquam es.**

v. 1. vulgo: *iam nunc* cum intolerabili hiatu; iam Ling. l. l. p. 59 transponi iussit.

Aul. 2, 5, 1. 4, 10, 59. 1, 2, 3; 3, 3, 5.

1. **Tace núnc ïám tu ïatque ágnum hinc úter est pínguior**
2. **Eucl. Ita di fáciant! L. Et mihi íta di fáciant! Aúdi núnc ïam.**
3. **Redi núnc ïam íntro atque íntus sérva. St. Quíppini.**
4. **Cóquite, fácite, féstináte núnc ïám, quantúm potest.**

Bacch. 4, 9, 72; 135.

Hoc áge sis núnc ïam. Chr. úbi lubét, recita: aúrium óperam tíbi dico.

Ecfértur praéda ex Tróia. Táceam núnc ïam.

v. 1 nunc ïam V. C. Par. Reliqui libri et editt. omnes *iam nunc.*

Capt. 2, 1, 27. 2, 2, 104.

1. **Sécede huc núnc ïam, sí videtúr, procul.**
2. **Míhi des pro íllo? Tyn. óptuma ímmo. He. sólvite ístum núnc ïam.**

Cas. 3, 5, 65. 2, 6, 34 et 60.

1. **Pa. Eo núnc ïám, nisi quíppiám remoráre mé. St. abi et cúra.**
2. **St. Eúge! — Cáve! — conícite sórtis núnc ïam ámbo huc. — Eccere.**
3. **Ch. Témperí, postquam óppugnátum est ós! St. age, úxor, núnc ïam.**

3. codd. et vulg.: *uxor mea;* pronomen recte deleverunt editores.

Cist. 2, 3, 79.

Me. I núnc ïam ístuc, quó properábas: níl moror.

Curc. 4, 2, 36.

Ly. Summáne, númquid núnc ïám me vís? Cu. vale átque sálve.

Epid. 1, 1, 71. 2, 2, 32. 2, 3, 11. 5, 2, 31.

1. Ep. Heú, edepól res túrbuléntast. Th. mítte me, út eam nùnc ïam.
2. St. íllam amabam ólim, núnc ïam ália cúra impéndet péctori.
3. Age núnc ïam órna te, Epidice, et pallíolum in cóllum cóniice.
4. Ep. Béne hoc habét. Age núnc ïam éx me exquíre; rógita, quód lubet.

v. 2. Iacobus et Weisius ita ictus posuerunt: íllam amábam olím, nunc iam ália ctt. quam rationem falsam esse vel ictus incommodus *olím* docere poterat. v. 3. troch. sept. fecit Iacobus: áge nunc iam órna ctt. iamb. esse octon. Weisius vidit; trochaici a v. 13. demum incipiunt; itaque *assimulato* v. 12 non mutari debebat a Iacobo. v. 10 sic incipit: ipsi hí quidém mihi dánt viám ctt. v. 9 ita scribendus videtur: Id égo discrúcior. Ep. Di hércle me ómnes ádiuvánt, augént, amant; vulgo: *excrucior; omnés me* cum hiatu. — v. 7. *uti* pro *ut* scribendum.

Men. 5, 9, 93:

Men. s. Quíd? Mess. praecónium út mihi détis. Men. s. dábitur. Mess. érgo núnc ïam

vulgo: *mihi ut praeconium* invitis libris et numeris. V. C. mihi praeconium ut; Dec. et Lips. praeconium mihi ut; ed. Princ. *praecónium út mihi* quae scriptura ut elegantissima mihi praeferenda visa est illi Decur. et Lips. codicum, quae numeros tardiores reddit; probavit tamen eam Kampm. l. l. p. 18. In eadem fabula 2, 3, 83 *nunc ïam* Camerarii est supplementum.

Merc. 5, 4, 4:

Eu. Uxor tíbi placida ét placáta est. Cétte déxtras núnc ïam.

Mil. Gl. 2, 4, 4; 2, 4, 10; 3, 3, 56; 4, 8, 66.

Pa. age núnc ïam ínsiste ín dolós: ego húc procúl recédam.
Age núnc ïám, quandó lubét. Sc. quid agám? Pa. perí praeprópere.
Pa. age, Périplectómene, has núnc ïám duc íntro, ego ád forum íllum.
Stúlte féci, qui húnc amísi. Ibo hinc íntro núnc ïam.

v. 1 sic dedit Ritschelius in indice scholarum ctt. Vratislaviae 1839 pag. 4. vulgo: *iam nunc*, sed illud Ambros. exhibuit. Deinde vulgo: *ego abs te procul rec.* ut habent V. C. a pr. Dec. abs te ego procul V. C. sec. m. Ambros.: *ego . . . procul;* lacunam explevit Ritschelius. v. 2. *quando* codd. Ambros. V. C. Dec. *quod* unde hauserit Gronovius, nescitur. — *praepropere* Ritschelius l. l. correxit.

Mostell. 1, 1, 71. 2, 1, 52. 2, 1, 79. 2, 2, 6. 2, 2, 43. 4, 2, 73. 5, 2, 44.

1. Moléstus né sis: núnc ïam hércle te ámove
2. Animum advórte núnc ïám tu, quaé volo áccurárier.
3. Ego hínc occlúdam. Iúbe veníre núnc ïam.
4. Apage, ápage te á me núnc ïam post húnc diem.
5. Circúmspice étiam. Th. némo est, lóquere núnc ïam.
6. Ph. Alio crédo cómissátum abísse. Abeámus núnc ïam.
7. Call. Díspudét. Tr. Dat ístam véniam. Quíd me fíet núnc ïam.

De v. 1 sic correcto vide pag. 27. — v. 2. codd. et vulg.: *iam nunc* vacillante versu; hinc veteres critici *advortito* scripserunt, quod Weisius recepit; simplissimum videbatur, cum Bothio: *nunc ïam* restituere.

Pers. 2, 2, 33:

P. Fátear, si íta sim. So. Iam ábi: vicísti. P. abi núnc ïam.
So. érgo hoc mi éxpedi.

Male Weisius: ábi nunc iam. érgo ctt.

Poen. 3, 5, 1. 3, 6, 19:

Suspéndant ómnes núnc ïám se harúspices.
Domós abeámus nóstras, súltís, núnc ïam.

Pseud. 1, 1, 116. 1, 5, 82. 1, 5, 133. 1, 5, 144.

1. Dabó: moléstus núnc ïám ne sís mihi.
2. Peccátan éa sunt? ánimum advórte núnc ïam.
3. Indíce lúdos núnc ïám, quandó lubet.
4. Agite, ámolímini hínc vos íntro núnc ïam.

v. 2. libri: peccata mea; correxit Bothius probante Ritschelio „de veteribus Plauti interpretibus“ p. 11.

v. 4. *amolimini* Ambros. et V. C.; reliqui: *amovemini* quod Weisius recepit.

Rud. 3, 2, 44. 3, 3, 21. 3, 5, 29. 4, 4, 7. 4, 4, 85. 4, 4, 109:

1. Illis. Dae. Iterum autem ímperábo? . . . . . Séquimini hác. Tr. age, núnc ïam
2. Desíste díctis núnc ïám me míseram cónsolári.
3. Adsístite ámbo! Síc. Audíte núnc ïam.
4. Ite, inquám, domum ámbo núnc ïam éx praesídio, práesides.
5. Dae. Aúdi núnc ïám, Palaéstra atque Ampelísca, quód loquor.
6. Dae. Lóquere núnc ïám, puélla. — Grípe, animum ádvorte, ác tace.

v. 1. Pro vulgato *haud* recte mihi videtur Bothius nuper *autem* dedisse ex vett. editt. Decurt.: *aut*.

Stich. 1, 2, 58. 5, 6, 7. 5, 7, 6:

An. Díc vicíssim núnc ïám tu. Pi. quíd vis tíbi dicám, pater?
Age iam ínfla búccas. St. núnc ïam áliquid suáviter.
St. Intro hínc abeámus núnc ïám: saltátum sátis pro vínost.

Trin. prol. 3. 1, 2, 158:

Lu. adest. én, illaé sunt aédes; i íntro núnc ïam.
Me. Istúc volébam scíre, i sáne núnc ïam.

v. 1. recte viri docti dederunt *en;* codd: *hem* quod non est demonstrantis.

Exstant tamen versus nonnulli, qui huic observationi repugnant: Aul. 3, 3, 3. Capt. 2, 2, 16. Mil. 3, 1, 142. Poen. 1, 2, 161. Pseud. 1, 5, 106.

1. Ite sáne núnc iam intro ómnes, ét coqui ét tibícinae.
2. Núnc senéx est ín tonstrína; núnc iam cúltros áttinet.
3. Quíque eos vítuperét. nunc iam ístis rébus désistí decet.
4. Mi. Si ánte quídem mentítust, núnc iam dehínc erít veráx tibi.
5. Si. Bene átque amíce dícis: nám nunc íam meus.

In quibus versibus, quoniam emendatio facilis non in promptu est, nisi velis in primo et tertio *iam* inducere (quod in primo certe fecit Ling. l. l. p. 63),

scripturam a codicibus exhibitam intactam relinquo, quamquam suspicio est, in iis aliquid turbatum esse. Utut hoc est, Plautinus mos et usus in hoc vocabulo tam certus et fixus est, ut mireris, potuisse editores tam saepe in re facillima titubare. Eandem Terentius consuetudinem tenuit, apud quem his versibus *nunc iam* ocurrit:

Andr. 1, 1, 144. 2, 1, 29. 2, 5, 13. 5, 2, 1. 5, 2, 25. Eun. 2, 3, 86. 4, 4, 47. Heaut. 4, 1, 5. Adel. 2, 1, 2. 2, 1, 14. 2, 1, 21 ubi Bentleius, *iam* monosyllabum faciens, ictus male disposuit; ibid. 2, 1, 30. Imperite Ritterus ad Andr. 1, 1, 144 Bentleio obloquitur, adoptans ibi deteriorum codicum scripturam *iam nunc* et 2, 5, 13 intolerabilem hiatum statuens, ne *iam* duabus syllabis efferatur. Et sunt vestigia, ex quibus elucere videtur, post alia quoque vocabula *iam* binas habuisse syllabas; certum mihi hoc est in versu Capt. 3, 5, 91 H. Perístis, ni húnc ïam é conspéctu abdúcitis, quem versum editores, quia *iam* monosyllabum putabant, intolerabiliter hiantem reliquerunt. Fortasse etiam post *dehinc* Merc. 5, 4, 40:

Ly. míssas iam égo istas ártes féci. De. Et quídem ego dehínc ïám Ly. nihil.

quamquam huius versus scansio sic etiam institui potest: ét quidem égo dehinc iám nihil. — Et nescio an hac ratione succurri possit versui Truculenti 2, 6, 50:

Iis te dóno. Ph. poénitétne té, quot súnt ancíllae ïam,

ubi vulgo: quot ancillae sunt iam. Sed versus ex Mostell. I, 4, 24, qui Hermanno in elem. p. 207 et p. 214 bisyllabum *iam* habere videbatur: iam revortár. diu-ést ïam-íd mihi — mihi non dubium est quin sit corruptus.

Haec sunt, quae de Plautina et Terentiana prosodia observavi et congessi. Sunt, fateor, multa, quae praetermisi; omnia enim non potui paucis pagellis com-

plecti: sunt, scio, pleraque sine certo ordine et fine disputata; sed id mihi praecipuum erat, ut materiam colligerem liberioremque aliquando eius utendae copiam nanciscerer: sunt denique haec ab adulescentulo in scribendo parum versato conscripta, qui neque a iudicio neque a doctrina tantum valet, ut in re, de qua summos et doctissimos viros disceptare videas, omnium exspectationi satisfacere queat.

Vita.

Natus sum *Ernestus Julius Brix* a. d. III. Idus Februarias anni 1815 Gorlicii patre *Joh. Gottfr. Brix*, qui etiamnunc artem pannos texendi factitat, matre *Dorothea* e gente *Herteliana*. Ad aetatis annum duodecimum in scholis oppidanis cum literarum elementis imbutus essem, postmodum Gymnasium adii urbanum, florens sub rectore *Antonio*, viro doctissimo, ubi per annos octo praeceptoribus optimis *Stolzio*, *Heinrichio*, *Roeslero*, *Mauermanno*, *Blühero*, *Matthiaeo*, *Struvio* et *Antonio* uti mihi contigit, inter quos praecipue *Struvii* conrectoris humanitas, qua semper me aut consilio aut re iuvit in literarum studiis, maximo mihi usui fuit. Anno deinde 1835 cum satis viderer paratus ad altiora humanitatis studia capessenda, dimissus cum maturitatis, quod dicunt, testimonio, vere eiusdem anni Vratislaviam migravi, moxque rectore magnifico *Unterholznero* philosophorum ordini adscriptus sum. Iam dudum enim; ex quo tertiam gymnasii classem escenderam, in scriptoribus antiquis studia mea ponere decreveram. Interfui igitur scholis *Schneideri*, *Ritschelii*, *Ambroschii*, *Wachleri*, *Stenzelii*, *Kutzenii*, *Hildebrandi*, *Branissii*, *Rohovskii*, *Stenzleri*, *Scholzii*, *Pohlii*, quibus omnibus, quae debeam, in dies magis experior. Praeterea mihi contigit, ut Seminarii Philologici, quod *Schneidero* et *Ritschelio*, post etiam *Ambroschio* ducibus florebat, exercitationibus per biennium interessem. Nec non cum

amplissimus Philosophorum ordo anno 1838 hanccc proposuisset quaestionem: „Praemissa codd. Mss., quos Rich. Bentleius vel primus vel post alios ad Terenti ſabulas adhibuerit, descriptione exponatur, qua eis ratione in recensendis fabulis usus sit" ausus sum in arenam descendere nec opera eventu caruit. Denique in rebus ad artem musicam spectantibus summa cum benevolentia me instituit *Mosewius*, vir elegantissimi iudicii, eiusque opera maxime factum, ut, quanquam a parentibus vix mediocribus subsidiis instructus fui, per quinquennium in hac literarum universitate studiis vacare potuerim. Horum omnium aliorumque, qui de me bene meriti sunt, memoria nunquam in grato iuvenis animo interibit.

Theses.

I.

Terent. Hecyr. 2, 1, 7 suspicor scriptum fuisse:

Ei lúdo, si úllus ést, magístrum hanc ésse satis certó scio.

II.

Versus Plautinus in Menaechm. 4, 2, 36 errans in vulgata metro solutus et glossis foedatus sic fere restituendus videtur:

Placábit pálla, quam ábstulí-uxóri atque ád eam détuli

Praecedunt iamb. octon., sequuntur troch. tetr.

III.

Initium scenae in Menaechm. II, 3 sic numeris describendum videtur:

Síne foris síc: abi, nólo ego operíri — cret. tetr. cat.
Intus para, cúra, vide, quód opus est, fíat:
Sterníte lectos, íncendite odóres; — bacch. trim.
Mundítia illecebra ánimo est amántum.
Amánti amoénitás malóst, nobís lucrost. — senar.
Séd ubi ille est, quém coquus ánte aedis ésse ait? — cret. tetr.
Atque eccum vídeo, qui mi úsui est plúrimum.
Item huíc ultró fit, út merét, potíssimus nóstrae domi út sit — iamb. sept.
Núnc adíbo eum, ádloquar últro. — troch. dim.

Sequuntur pleni troch. a v. 10—13; septenarii a v. 14: *quicum haec* ctt. cf. Herm. elem. p. 394 sq.

IV.

Ars critica in scriptoribus antiquis nunquam cessare potest.

V.

Non verum esse puto Plutarchi iudicium existimantis (vita Cimonis c. 17) Athenienses *μικρᾶς ἐπιλαβομένους προφάσεως* Cimonem exsilio adfecisse.

VI.

Quantitas, quae vocatur et accentus plerumque coeunt in Plauti et Terenti versibus; ubi tamen consociari nequeunt, cedit accentus, praevalet quantitas.